



Salernatanæ
1555









DEBACQ LIBRA

REGIMEN

DE CONSERVANDA BONA VALETVDINE

Opusculum Scholæ Salernitanæ, ad Regem Angliæ: Cum Arnoldi Nouicomensis, Medici & Philosophi antiqui Enarrationibus vtilißimis, denuò recognitis & auctis, per Ioan. Curionem, & Iac. Crellium.

ITEM,

De Electione insigniorū Simplicium, ac Specierum Medicinalium, Rhythmi venustiß. Othonis Cremonensis.

De moderatione cibi & potus, item Somni & vigiliarum Doctrinæ saluberrimæ D. Philippi Melanthonis.

De victus salubris ratione priuatorum Polybii tractatus, Anderpaco Interp.

PARISIIS,
Apud Carolum Perier, in vico Bellouaco, sub Bellerophonte.
M. D. LV.


Mathur.
bestiure
1614
Bona
Valet
udin
ivr

REVERENDO

ET AMPLISSIMO IN Christo Patri ac domino, D. Ioanni Pico, Cœnobij diui Petri apud Erphordēſes, Abbati digniſsimo, Domino & Mecœnati ſuo plurimum obſeruādo, Ioānes Curio Bercken. & Iacobus Crellius ὑγιαίνειν.

PERVENIT *ad manus noſtras, Ampliſsime pater, opuſculū quoddam de tuenda bona valetudine, à Doctoribus quōdam Scholæ Salernitanæ, memoriæ proſpiciendæ gratia, vt apparet, verſibus conſcriptū. Multò enim facilius verſus, Fabio teſte, quàm proſam orationem ediſcimus. Adiuncta erat luculenta ſimul & ſuccincta Arnoldi Nouicomenſis,*

 Medici

Medici & Philoſophi celeberrimi, in ſingula capita ἐξήγησις. Nos itaque ſititores alioqui rerum nouarum, magna cum voluptate, curſim primò, atque ferè ſine interſpiratione perlegimus. Dehinc cunctatius & accuratius ſingula relegentes, librũ inuenimus, mole quidem paruum, ſed qui plurima in medica arte non ſpectata modò, ſed & cognitu quàm digniſsima complectatur, & in quo nihil ferè ex omnibus iis quæ ad corporis cuiuſque incolumitatem ſeruãdam faciant, deſideres. Hunc ergo vbi intimis quibuſdam amicis communicaſſemus, dignum iudicarunt, qui ceu nouo adſumpto habitu, in publicum prodiret, quique in omniũ incolumitatis ſuæ ſtudioſorum manibus non haberetur tantùm, ſed etiam ab iiſdem diligentiùs perlegeretur,

retur,

C

retur, neque (vt hactenus) à tineis amplius & blattis corrodendus delitesceret. Summísque precib. à nobis contenderunt, ne sibi nostram hac in re operam polliceri, neque hanc editionis molestiam nobis imponi grauaremur. Ita enim fore, & vt cuncti φιλυγιδνοὶ maximis beneficij vinculis nobis obstringerentur: & vt ipsi in arte, cui nos iam totos mancipârimus, multò cùm promptiores, tum expeditiores redderemur. Omnes siquidem artes, & vt Xenophon ait, πάντα τὰ καλὰ καὶ τὰ ἀγαθὰ, ἀσκητὰ εἶναι, neque sine aliqua exercitatione percipi posse. Nos verò qui ingenii nostri imbecillitatem probè agnoscentes, nos cùm omnium aliarum ingenuarum artium, tum in primis ipsius medicæ ignaros ac rudes planè non ignora-

remus, sedulò primò, & quoad fieri potuit, prouinciam hanc nimis grauem recusare, deinde verò & deprecari cœpimus. Cæterùm, qua ex causa faciliorem deprecationis nostræ veniam consequi posse arbitrabamur, hac magis atque magis illi nos instigare, & hortari, & orare, ne hunc laborem subterfugeremus, pergebant. Erátque inter eos vel præcipuus, vir & humanitate, & morum integritate spectatissimus I. V. Doctor Georgius Iuda. Cùm itaque nullus vndequaque vrgendi appareret finis, ísque potissimum incitaret, cui quicquam denegare religio sit, locum petitioni fecimus: τὶ γὰρ ἂν ἐν πάθῃ τις, ὁπότε φίλος τις ὢν βιάζοιτο. Suscepto igitur hoc onere, nihil æquè nobis elaborandum duximus, quàm vt omne nostrum studium

dium & conatum huc destinaremus, quò liber hic vtilißimus non emendatißimus modò, verum etiam ab horridula illa, & ingrata dictionis ruditate, qua antehac miserè & fœdè conspurcatus circunferebatur, ac proinde à studiosis quibusdam contemptus negligebatur, quàm alienißimus in vulgum exiret. Quare multa in commentario superflua resecuimus, multa omissa adiecimus, Autores, vnde conflatus videbatur, diligenti studio & inuestigatione voluentes, locos omnes, perinde atque hodie traducti habentur, quam castigatißimos substituimus. Reliqua quæ ἐξηγητής suo Marte expresserat, infinitis propemodum mendis exemimus. Quin & ipsos denique versiculos sub incudem reuocatos emendauimus, seduló que id egimus, vt nu

merus ſibi, quoad poſſet, integer conſtaret: Paucis tamen exceptis, à quibus, ne in totum periret rhythmus, quo maiores noſtri impẽſius delectabãtur, manus cohibuimus. Quo factũ eſt, vt occurrant alicubi ἐκτάσεις ϗ ἐπενθέσεις quædam inuſitatiores, & quas haud temerè apud quẽquam probatæ autoritatis ſcriptorẽ reperias. Hanc verò noſtram quantulamcũque operam R. P. tui ampliſſimi nominis patrocinio & nuncupatione munitam, in publicũ exire voluimus: & vt ipſe pro ingentibus beneficiis, quibus nos hactenus deuinxiſti, viciſsim gratitudinis noſtræ aliquod haberes μνημόσυνον, & ſi quam ſanitatis ſuæ ſtuodioſi inde vtilitatem hauſerint, eam totam tuæ Amplitudini & excellentiæ acceptã ferant. Munuſculum ergo hoc, in quo

tanquam

tanquam in speculo, qui, quando, & quatenus labori, cibo, potui somno, & cæteris rebus nō naturalibus indulgēdum sit, clarißimè intueri licet, quódque grato animo offerimus, serena fronte, placidóque vultu T. A. *suscipiat, fructuúmque nostrorum veluti primitias, candidè cōplectatur.* Sic *nanque fiet, & vt alij compluros ad similes in literis ausus excitentur, & vt ipsi nostris laboribus abundè satisfactum putemus.* Optimè *in domino vale, pater amplißime, ac nos nostráque studia in tuam clientelam suscipere dignare.* Erphordiæ, X V I. Calend. Septemb. *Anno* M. D. X L V.



INDEX SVMMARIVS

eorum, quæ insignius hoc libello dicta sunt.

A

+. sorte de Chesne dont on dit que le gland est Bon à Manger. ....

++. Nefflier. arbre, portant des fruits ..

Ane-

Bal-

c

B

C

C- graine de paradis - - ....

Cibi

Crocum

Fames

F

G

H

I

L.

N

O

Oua

Prandium

Spodium

T

Vapores

V

Vinum


FINIS

CHRISTOPHORVS Aulæus, candido Lectori.

Quòd vitio præsens liber hic purgatus ab omni,
Vndiq; per doctas audeat ire manus:
Quódque Theoninos poßit modò spernere dentes:
Porrecta & patrium linquere fronte solum:
Curio, fatidici decus insuperabile Phœbi,
Præstitit, & medica Crellius arte potẽs.
Ergo age, iam culto quicunque iuuare libello,
De bene tam meritis dic bene quæso viris.

ANTONIVS MVSA de hoc Libello.

Vulgatus Salernitarum de tuenda valetudine libellus, his qui legunt non parum vtilitatis præstat, illisque multo maiorem, qui libelli præcepta obseruant.



DE CONSERuanda Bona valetudine, liber Scholæ Salernitanæ.

DE ANIMI PATHEmatis & remediis quibusdam generalibus. Caput I.

mouvements de l'ame


Nglorum Regi scribit
schola tota Salerni:
Si vis incolumem, si vis
te reddere sanum,
Curas tolle graueis, irasci crede
profanum,
Parce mero, cœnato parum, non
sit tibi vanum
Surgere post epulas, somnum fuge meridianum,

Surine

Ne mictum retine, nec comprime fortiter anum,
Hæc bene si serues, tu longo tempore viues.

PRæsens hic liber, à doctoribus Scholæ Salernitanæ in gratiam Regis Angliæ conscriptus, multa & varia conseruandæ bonæ valetudinis præcepta complectitur.

In hoc autem capite octo in primis generatim referuntur, quæ nos singulatim deinde, ac suo quodque ordine explicabimus.

Cura.

Primum ergo est, vt tuendæ sanitatis suæ studiosus anxiferas, graueis, & pertinaces curas relaxans, ex animo penitus exterminet. Curæ enim corpus vehementer extenuant & exiccant, somnum impediunt, perpetuísque vigiliis conficiunt, vires destruũt, febres etiam accendunt, ac grauißimis valetudinibus initia præbẽt, ipsæ quoque melancholiam generant, pariterque calorem innatum resoluunt, & extinguunt, & magis si diutius durârint: Autor Galenus *cùm multis aliis locis, tum præcipuè* Apho. *lib.* 2. *comment.* 28. & *lib.* 3. *comment.* 31. & *de tuenda sanitate, libro primo, capite* II.

Tristitia.

Sub eodem præcepto comprehendi debent

bent & Tristitiæ, quæ & ipsæ corporis naturam frigiditate & siccitate corrumpunt, id quod Solomon quoque cap. 17. Prouerbiorum suorum attestatur: Spiritus tristis, inquit, exiccat ossa. Sed cùm omnis mœstitia generandæ melancholiæ vim habeat, quò tamen vehementior ac diuturnior hæc affectio fuerit, eò plus adfert periculi. Nam extra hoc, quòd corpus macie paulatim extabefacit, cor etiam ipsum immodicè constringit, spiritum obtenebrat, ingenium hebetat, rationem impedit, iudicium obscurat, & memoriam obtundit. In mœroribus item fortibus, vti à Nemesio cap. 20. de natura hominis ex 3. lib. demonstrationum Galeni refertur, biliosa quædam superfluitas consueuit in ventriculum defluere, & multò magis quum ipse malè affectus fuerit, quæ sanè molestiam exhibet, vt non prius à mœstitia & cruciatu cesset, quàm superfluitas illa vomitu eiecta fuerit, id quod Galenus etiam aphor. lib. 6. comm. 50. attestatur.

Idem de timore quoque intelligendum: nam & ipse intrò & ad principiũ, tum spiritum, tum sanguinem vnà cum refrigeratione eorum, quæ in summo corpore sunt, abducit ac contrahit: itaque etiam pulsus tum arteriarum, tum cordis iis, qui timent, Timor.

minimi ac maximè imbecilli ſunt: partes in ſuperficie poſitæ algent, corpúſque palleſcit, tremor incidit, vox interrumpitur, & vires denique conuelluntur omnes. Quod autem in triſtitia paulatim patiuntur homines, id in timore confertim accidit, diſsidentibus ſcilicet inter ſe paſsionibus iis non toto genere, ſed magnitudine & vehementia. Itaque etiam ob timorem & immenſum mœrorem nonnulli repentina morte interierũt, quòd ſcilicet imbecilla ſuapte natura animula eorum ſub valido affectu oppreſſa, confertim extincta & ſuffocata ſit, quemadmodum luculenter & perſpicuè docet Galenus lib.2. cap.5. de cauſis Sympt. Quippe extingui eam accidit propter affectus ipſius naturam, vt cuius generatio in refrigerãdo cõſiſtat: Suffocari autem, eò quòd totus ſanguis vnà commeet, atque ad principium deferatur. Cuius ſanè rei inſignia exempla extant apud Plinium lib. 7. cap. 36. naturalis hiſtoriæ. Quocirca eum, qui ſanitatis ſuæ tuendæ curam ſuſceperit, cane peius & angue, omnia illa, quæ non aſpectu & auditu modò, verùm & mentis agitatione triſtia exiſtunt, fugere oportebit. Quod Ariſtoteles quoque innuiſſe videtur, cùm Problemate 5. Sectionis 7. ſcribit: λειποθυμίαν incidiſſe

quan-

quandoque, qui homines suffocari laqueo, vidissent solum.

Hoc tamen ignorandum non est, quòd obesis nonnullis, quibus corpus immodicè plenum est, ac iis etiam qui spiritus admodum mobiles & calidos habent, interdum vtile sit, si curis, timore, & tristitiis conficiātur, quò nimirum spiritus calor hebetetur, & nimia moles, quæ corpus onerat, extenuetur aliqua ex parte atque auferatur, id quod vno ore confirmant, Paulus Aegineta, lib.8.cap.57. Aetius lib.4.cap.33. & Rhazes lib.4.cap.9.ad Almansorem. Tristari vtile.

Secundum, vt ab ira temperet. Nam cum Ira sit feruor quidam, ac vehemens motus caloris in ipso cordis corpore, qui in extimas tandem partes cum impetu diffundatur, vt eam planè dilucidéque Galenus lib. 1.cap.4.de differen.feb. & in libro de causis morborum, cap.2. definit, necessariò corpus ipsum immodicè calfacit & exiccat, quò fit vt febrem nonnunquam accendat, in iis præsertim corporibus, quæ in se admissam caliditatem longo tempore retinere natura apta sunt. Etsi enim motus cordis sedetur, in hisce tamen remanet calor præter naturam, atque inde hominem febricitare cōtingit. Quidam etiam ira commoti quasi Ira.

attoniti, ac extra se positi videntur. Sunt præterea qui impotenti ira impetuosius concitatos, ἀποπληξίαν incidisse multos, repentéque animam expirasse, nonnullos verò furore, comitialis morbi accessione, παραλύσει, conuulsione, podagra, & articulorum maximè ac totius corporis tremore comprehensos, concidisse, tradant. Obstat etiam animi iudicio, & rationis opera perturbat, &, vt Cicero ait, ira præsente nihil rectè fieri potest. Offenduntur autem ab ira potissimùm, qui temperaturam corporis totius calidiorem, quàm par sit, aut morbo, aut natura consecuti sunt, præcipuè quando cor & caput naturali intemperie immoderatè feruent, aut aliquo aduentitio calido affectu laborant.

Irasci vtile.

Animalibus tamen vitiis, morbis frigidis, & natura frigidiori cordi & capiti, Galeno lib. 6. epidem. part. 5. comment. 9. autore, ira nō leue præsidium adfert, innatum enim calorem in ipsis iam torpescentem excitat adaugétque. Quod Hippocrates etiam lib. 2. epidem. parti. 4. in eum scribens modum confirmat. Diligentia, inquit, adhibēda est, vt excandescentia inducatur, & coloris reparandi, & sanguinis in vasa subter cuticulam colligendi gratia. Quocirca ipsa à perfrigeratis,

frigeratis, pallido colore præditis, & καχεξία laborantibus, ex quibusdam interuallis, & temporibus opportunis assumenda est, non sanè ita continenter, vt facultas offendatur, sed perinde vt exercitationes innatũ calorem corroborantes, non immoderatas facere oportet, sed tum opportunè, tum moderatè assumere, ita & excandescentiam, si præclariss. medicinæ scriptoribus, Gal. lib. 3. cap. 10. de difficul. respir. Paulo lib. 1. ca. 58. & Aetio lib. 4. cap. 34. credendum est.

Tertium, vt moderatè vino vtatur, vinum enim modicè haustum natiuum calorem adauget, teste Gal. ca. 4. de causis morborũ. Vbi verò immoderatius bibitur, quàm vt vinci possit, tãtum abest, vt animal calfaciat, vt etiã frigidiora vitia gignat, quẽadmodum copiose Gal. lib. 3. cap. 5. de temperamentis ostendit: quippe apoplexia, paraplegia, & quæ Græcè caros, & comata vocamus, neruorũ resolutio, comitiales morbi, conuulsiones, tetani, & debilitas ventriculi ac reliquorum membrorum omniũ immodicum vini potum comitantur, quorum vnumquodque frigidum est vitium. Sed de his plura infrà cap. 15. Vinum.

Quartum, vt in cœna modico cibo vtatur: exiguus nanque cibus à facultate vinci Cœna.

perfectè & facilè potest. Qui verò noctu multum ingerunt, ventriculúmque nimio cibo onerant, dolorem primùm & angustiã perpetiuntur. Deinde nec probè dormire, nec rectè concoquere possunt, quòd nimia copia facultas aggrauetur, ceu nimio pondere pressa, subindéque superare ingestum cibum nequeat, id quod & infrà ca. 5. vberius ac fusius declarabimus.

Quintum, vt statim à sumpto cibo surgat: hoc enim ad concoctionem facit, quia cibus sumptus ita facilius descendit in imum ventriculi, in quo, Galeno lib. 5. capit. 5. de locis affect. teste, coctionis opus perficitur. Infrà cap. 2. & 76.

Somnus. *Sextum, ne à prandio somno indulgeat. is nanque somnus, qui cibum statim excipit, fumosis exhalationibus caput replet, destillationésque parit. Sed de hoc vberius infrà cap. 3.*

Lotium. *Septimum, ne lotium diutius, quàm natura fert, remoretur: hinc enim interdum oriuntur* δυσουρία καὶ ἰσχουρία *hoc est, vitia, in quibus vrina aut ægrè & difficulter excernitur, aut in totum supprimitur ac cohibetur. Eodem modo calculus aliquando & aqua intercus gigni perhibẽtur, neque aliud quidquam æquè vesicam lædit, atque longior,*

gior, vltra mingendi voluntatem, lotii retentio, id quod testantur cum primis Galenus lib.6.cap.4. De locis affec. Rhazes lib. 4.cap.6.ad Alman. & Auicenna Fen.19.3. Tract.2.cap.6.

Octauum, ne compreßis natibus, ventris onus supprimere & retinere tentet: ita nãque indurantur fæces in intestinis, ob continuam suctionem venarum mesaraicarũ, quæ cum intestinis continuatæ, omnem humiditatem è fæcibus exugunt: quo fit, vt illæ exiccatæ, difficilioris exitus intestina obstruant, oppiléntque: oppilationem verò, ob flatuum eductionis præclusionem, & aliarum consequẽtium fæcum coaceruationem, nocumenta sequantur, cùm illa, quæ cap.4. enumerantur, tum etiam quæ referuntur à Cornelio Celso lib.1.ca.3. Ex ventre, inquit, suppreßo, inflammationes, caligines, capitis dolores, aliáque superioris partis mala increscunt. Quibus accedunt etiam, vt Rhazes testatur, τεινεσμὸς, & cibi fastidium, quod malum Græci ἀνορεξίαν, Latini verò appetentiæ amißionem vocant. Excremẽtorum retentio.

Summoperè præterea cauẽdum, ne in exoneranda aluo nimio conatu vtatur. nã & hinc non raro sequi solet τεινεσμὸς, siue exitus intestini, quod ab osse sacro ad anum

vsque pertinet, Græcis ἀπευθυσμένον καὶ ἀρχὸν dicitur, Latinis Longanon, rectum, & princeps, teste Andrea Væsalio, lib.5.cap.5. fabricæ humani corporis.

Vltimo tandem loco subiungitur, longissimo tempore victurum, quicũque hæc præcepta studiosè & diligenter obseruauerit.

SI tibi deficiant medici, medici tibi fiant,
Hæc tria, mens hilaris, requies, moderata diæta.

Hoc loco fit mentio trium remediorum, quæ in defectu medici, vicẽ eius cùm apud alios, tum nobiles maximè & excellentes viros supplere poßint.

Lætitia. *Primùm, animus hilaris ac lætus. Lætitia enim calorem excitat naturalem, spiritus temperat & puriores reddit, virtutem corroborat, ætatem floridam facit, iuuenile corpus diu conseruat, vitam prorogat, ingenium acuit, & hominem negotiis quibuslibet obeundis aptiorem reddit. Conuenit autem vt hæc ipsa lætitia, siue gaudium bonæ valetudini commodum, sit temperatum, non excedens modum, neque repentinum. Nimio enim*

enim & repentino gaudio, quemadmodum Galenus lib.2.ca.5.de Symptomatũ causis, & Alexander Aphrodisæus problemate 21. memoriæ prodiderunt, tanta sit cordis relaxatio, vt virtus vitalis vnà cum innato calore tota egeratur, ac dißipetur, adeoq; syncope nonnunquam & repentina mors consequatur. Atque huius quidẽ rei extant horribilia ac pertimescenda exempla, apud T. Liuium Decadis 3. lib.2. Val. Max. lib.9.ca. 12. Pli. lib.7.cap.32. & 53. & A. Gel. li.3.ca. 15. At enim cùm, iuxta tritißimũ scholis medicorum dictum, contraria contrariis curentur ac depellantur, illis potißimùm gaudium adsciscendum est, qui tristioribus animi pathematis immodicè conficiuntur. Quod sanè per illa cum primis consequentur, quæ principes facultatum partes corroborant, sanguinem bonum generant, & spiritus instaurant, eadem quippe & mẽti, Aui. II.3.tract. 2.ca.10. teste, gaudium & lætitiã conciliant adiũgúntq;. Huiusmodi porrò sunt cibi suaues & boni succi, vinũ subtile ac delectabile, boni & fragrãtes odores, delectabiliũ rerũ cõmemoratio, & cũ amicis & familiaribus freq̃ẽtior & iucũda cõuersatio. Quare, vt Eobanus noster disertè canens, admonet,

Vtere conuiuis non tristibus, vtere amicis.

Quos nugæ, & risus, & ioca salsa iuuant.
Quem non blanda iuuent varii modulamina cantus?
Hinc iecur & renes, ægráq; corda stupẽt.
Nã nihil humanas tanta dulcedine mentes
Afficit, ac melicæ nobile vocis opus.
Tange lyram digitis, animi dolor omnis abibit,
Dulcisonum reficit tristia corda melos.

Atque hinc adeò est, quod grauiss. autor Plutarchus in lib. de virtute morum tradit, Pythagoram animo pacando sedandóque ab affectibus & perturbationibus vehementioribus, Musicam adhibere solitum. Sic Saul quoque per Dauid psallentem à spiritu maligno liberatum legimus. His similia & scitu non indigna, lib. 1. & 14. Dipnosophistôn Athenæus refert. Atqui hactenus quidẽ dicta magna ex parte hisce etiam versibus ex Hieronymo Fracastorio cõplexi sumus.

Tu tamen interea effugito, quæ tristia mentem
Sollicitant, procul esse iube curásque metúmque
Pallentem, vltrices iras, sint omnia læta.
Alma Ceres te in hoc, Bacchi quoque læta iuuabunt
Munera, sic dulces epulæ, sic copia rerum.

Sic vrbis, sic ruris opes, & summa voluptas,
Visere sæpe amnes nitidos, iucundaq; Tēpe,
Et placidas summis sectari in montibus auras.
Accedant iuuenumq; chori, mistæq; puellæ.

Secundum, Animi tranquillitas. nobiles enim & excellentes viri, ob maximas & diuersas curas, quas sustinent (si ipsis cætera omnia antè pariter adfuerint) mentis inquietudine magis, quàm mediocris conditionis homines, læduntur. Nam si quid aliud, hæc maximè somnum impedit, qui nobilibus, cū biliosæ ferè & finccioris naturæ sint, in primis conueniebat. Vigiliæ verò, vt Galenus lib. 7. cap. 6. Therapeu. metho. autor est, magis adhuc totum corporis habitū siccant, adeóque iis, qui alioquin ex siccitate laborant, infestissimæ sunt. Tranquillitas. Vigiliæ.

Vel requies hîc ad corporis quietem, quæ motui opponitur referenda est. Nam & hæc quoque ad valetudinem necessariò adhibeatur. Calorem enim naturalem aßiduis laboribus fractum ac dißipatum reuocat, vires exhaustas ac penè perditas recuperat, adeóque præstat, vt animal se colligat, ac durare poßit. Quod disertè admodum apud Ouidium lib. 1. Epist. 4. Phædra Hippolyto iis versibus significauit: Requies.

Quod

Quod caret alterna requie, durabile nõ est,
Hæc reuocat vires, fessáq; membra leuat.

Eleganter autem alternam requiem vocat: sicut enim non semper laborare, ita nec semper quiescere expedit.

Diæta. *Tertium, Moderata diæta, id est, modus, seu ratio viuendi, Græcis communiter δίαιτα dicitur, Latini victus rationem reddũt. Quidam Græcam dictionẽ retinere, ac Latinis characteribus, Diætã, scribere maluerunt, vulgus Regimen sanitatis, siue regulã victus appellat. Complectitur autem in se, nõ modò, quæ ad cibi & potus rationẽ attinent: sed reliquas etiã res omnes, quas Nõ naturales medici vno ore vocare solẽt. Harum enim commodus & moderatus vsus saluberrimus est, & corporis constitutionem conseruat, intẽpestiuus verò & immodicus sanitatem, adeóq; naturã hominis corrũpit. Vt igitur vita morbis omniũ minimè obnoxia sit, harum legitimus vsus sollicitè ac diligenter seruandus est. Plura infrà ca. 55.*

DE CONFORTATIONE cerebri, Cap. II.

LVmina manè, manus surgens
gelida lauet vnda,

Hac

Hac illac modicũ pergat, modicum ſua membra
Extendat, crines pectat, dentes fricet, iſta
Confortant cerebrum, confortãt cætera membra.
Lote cale, ſta pranſe, vel i, frigeſce minute.

Hic traduntur ſex præcepta de confortatione tum cerebri, tum reliquorum mẽbrorum omnium.

Primum, vt ſingulo quoq; die manè oculi ieiuno lauentur, à ſordibus enim & lemis, quæ in ipſis noctu coaceruantur, & palpebris adhæreſcunt, ne inde læſionẽ percipiãt, aut corradantur, diligẽter repurgari debẽt, ídque aqua clara, viridi, & frigida, inſperſa potius quàm per manus admota, faciendũ eſt: vel certè in eadẽ aperti ambo, quoad poterunt, immergendi, ac longiori deinde temporis ſpacio ſupprimendi ſunt. Hoc enim non abſtergit modò, ac claros nitidóſq; reddit, ſed ſanos etiam conſeruat, viſúmq; acuit & confortat, & maximè in iuuentute, quẽadmodum Rhaz. li.4.ca.22. ad Alman. & Auic. 3. tract.1.cap.5. & 3. tract.4.cap.3. Viſum cõſeruãtia.

fide-

fideliſsimè tradunt. Cur autem frigida magis, quàm calida lauari debeant, ratio hæc eſt, quòd, vt Gal. alibi ſæpe, tum maximè apho. lib. 1. cõmen. 16 lib. 3. ca. 41. de alimen. facul. & cap. 86. Artis Medicin. teſtatur, conſeruatio in temperatis ſemper per ſimilia fiat. Oculi verò, vt lib. 5. cap. 1. de generat. animal. & lib. 2. cap. 10. de partibus eorundem, & in lib. de ſenſu & ſenſibili cap. 2. Ariſtoteles ſcribit, ſunt de natura aquæ, hoc eſt, frigidi, quare etiam frigida potius, quàm calida lauari debent. De recreatione & confortatione viſus paulò pòſt, & infrà.

Manuum lotio.

Secundum, vt manus quoque lauentur: cùm enim inſtrumenta ſint, quibus emundãtur organa ſuperfluitatum cerebri, aures nimirum, oculi, nares, & os, conueniet ſanè & ipſas cumprimis eſſe mundas. Lauandæ igitur ſunt, ſed frigida magis, quàm calida: & hoc quidẽ cùm alias ob cauſas, tum maximè, quòd lotio manuum in aqua calida, & præcipuè poſt cibi ſumptionem, Auicen. 16. 3. tract. 5. ca. 1. teſte, vermes in ventre generet. Quia innatus calor, qui in ventriculo ac reliquis nutritionis membris concoctionẽ operatur, per eiuſmodi lotionem ad exteriora retrahitur, itaque imperfecta fit cõcoctio, quæ potiſsima generationis vermium cauſa exiſtit.

Vermes.

existit. Plura de lotione manuũ infr. ca. 23.

Tertium, vt postquàm è somno experrectus surrexerit, paulatim inambulando se moueat, vt primæ & secundæ concoctionis excrementorum redundantiæ, quæ sunt fæces & vrina, descendant, & ad faciliorem excretionem præparentur adiuuentúrque.

Quartum, vt sub idem tempus pandiculetur: hoc est, manus, pedes, & simul totum corpus extendat, quò videlicet spiritus vitalis vnà cum sanguine, qui per somnum intrò magis fugiunt, vt lib. 6. parti. 5. epidem. apho. 29. potissimè & breuissimè Hippocrates dixit, ad exteriora membra reuocentur, eóque spiritus cerebri puriores ac temperatiores reddantur. Pandiculari.

Quintum, vt crines pectat & ornet. Per hoc enim pori capitis aperiũtur, cerebri vapores in somno collecti ab oculis ad superiora alliciuntur ac dissipãtur, & spiritus temperantur, subtilioresque fiũt. Pectinis igitur supra caput administratio sensuum instrumenta, & corpus reliquum corroborat, visionem acuit, & cogitationem reddit meliorem, adeoq; ob id ipsum interdiu sæpius reuocanda est, veluti Auicenna 33. Tract. 4. cap. 3. copiosè scribit. Atque huic sanè instituto pecten eburneus probè politus & leui- Pectere.

gatus tutißimum præstabit vsum, moderatè à frōte ceruicem versus quadragies ductus, Marsilio Ficino lib.1.de vita, cap.8.teste.

Dētes fricare.

Sextum, vt dentes fricet ac mundet. immundicies enim dentium præterquàm quòd oris graueolentiam parit, spiritus etiam fœtidos, impuros & turbulentos exhalat, qui ad cerebrum eleuati ipsi non paruam noxā inferunt. Sordes item dētium cum cibo permistæ & in ventriculum delatæ, cibū ipsum sæpe corrūpunt. Idem de lingua iudiciū est: nā & huic adhærentes sordes, ne in ventriculū deferantur, diligenter abstergēdæ sunt. Quare os manè experrecto gargarizandū, & (nisi hyems sit) multa aqua frigida, cui aceti nōnihil admistū sit, fouendū est, vt eleganter admodū lib.1.ca.2. Cornelius Celsus præcipit. Nihil autē dentibus æquè nocet, ac frequentior lactis esus, veluti Gal.lib.3.cap. 14.de alimento. facultatibus disertè & copiosè scribens, admonet. Nocet, inquit, lactis esus aßiduus dentibus, & circūdatis carnibus, quas gingiuas nominãt. Has enim humidas, dētes verò putrefactioni & erosioni admodū obnoxios reddit. Sumpto igitur lacte, os vino diluto colluere conueniet. Satius autem fuerit, si mellis etiam quidpiam ipsi inieceris. Ita nāque omne caseosum, quod ex

Lactis esus frequens.

lacte

lacte dentibus ac gingiuis circumfixũ fuerit, abstergetur. Quod si etiam cuipiam tam robustum sit caput, vt vini meri collutione nõ offendatur, melius is dentibus & gingiuis consuluerit, veruntamẽ & mel vino permistum, misturam ex vtroque reddit meliorẽ. Illud verò dentium incolumitati tutissimum aduersus lactis iniurias fuerit præsidium, si quis post sumptum ipsum, primò melicrato, deinde vino adstringẽte os colluat. Hæc ille.

Porrò modus, quo dentes à putredine, erosione, dolore, & graueolentia vindicari possunt, optimus nobis à Dioscoride lib. 4. cap. 146. Plin. lib. 26. cap. 8. Galeno lib. 8. cap. 136. de simpl. medica facult. & Auicenna 7. 3. cap. 2. præstituitur: vt os singulo quoque mense vino, vel aceto, in quo Tithymali radix decocta sit, bis colluatur. Hoc enim non solum dentium ac oris commendat odorem, sed eorundem etiam dolori auxiliatur, & sanitatem conseruat. Plura infrà capit. 80. Dentes cõfortare. Tithymali radix.

Aures quoque bene à suis redundantiis exonerandæ sunt, neque solùm eorum excrementorum, quæ manifestè per certos meatus, sed omnium etiam, quæ occultè exeunt, vacuatio lacessenda & molienda est.

Vltimus versus tria præcepta saluberrima complectitur.

Balnea. Primùm, vt balneo lotus atque æstuans omni cura & diligentia aduersus ambiẽtis cœli frigidiorem intemperiem sese muniat & defendat, ne illa scilicet per poros à balneo apertos in omne corpus permanans, ibidem mali quidpiam ingeneret: à contrario siquidem ad contrarium repentina & inordinata transgreßio, Galeno apho.lib.3. cõment.22. teste, periculosa admodum existit, præsertim cùm facta ad frigiditatem subita commutatio eos, qui antea difflabantur, & per sudores euacuabantur, humores iam in profundum corporis repellat, adeóque partes etiam ad ventriculum atque intestina attinentes offendat.

Obseruandum etiam, ne à recèns accepto cibo, balneo statim vtatur, neque protinus post lotionem comedat aut bibat: qui enim paulò antè bibit, huic caput repletur: qui verò cibum sumpsit, non caput modò, verùm & corpus totum alimoniam ad se, priusquàm concocta fuerit, trahit, adeóque crudis & incoctis humoribus impletur: statim verò post lotionem cibum vel potum sumere, caput replet, deuoratúmque interdũ superfluitate facit, quemadmodũ copiosè in 3. de victus ratio. in morb. acut. comment. 55. & 56. & in libr. de Marasmo. cap. 14.

Galenus

Galenus ostendit.

De potu idem confirmat etiam Cornelius Celsus, qui libro primo, capite tertio, in eum scribit modum: Illud nosse oportet, quòd ex labore sudanti, frigida potio perniciosissima est, atque etiam (cùm sudor se remisit) itinere fatigatis inutilis. A balneo quoque venientibus, Asclepiades inutilem eam indicauit. Atque ex hac quidem causa, quomodocunque sudanti adhuc, frigidum bibendum non est.

Cauendum etiam ne in ipso balneo comedat, bibat, aut dormiat. Inde enim bona ventriculi concoctio oblæditur, & naturæ pugna cietur, dum sanguis, spiritus, & calor naturalis adscititio balnei calore ad exteriora allecti & protensi, ad interiora retrahuntur, & in profundum secedunt. Inter dormiendum etiam humores aliqui in ventrem confluunt, qui non, vt in aliis somnis, concoquuntur, sed longè plures fiunt incocti permanentes. Somnus verò à balneo vtilissimè conceditur. Nihil enim est, vt Galenus lib. 4. cap. 9. de Sanitate tuenda scribit, quod æquè concoquat ea, quæ concoqui possunt, & malos succos per halitum digerat, vt somnus à balneo.

Secundum, vt paulisper à cibi sumptione

excelso & erecto corpore cōsistat, quò cibus ingestus, in ventriculi fundū, vbi concoctionis officina est, æquabiliter descendens, prōptius cōcoquatur, ac rarò deinde nec ita lōgo incessu inambulet, ne ob vehementiorem corporis motū calor è profūdo ad partes exteriores attractus, dißipetur, adeóque cibi præpediatur concoctio. Plura infrà cap. 76.

Venæ sectio.

Tertium, vt post venæ sectionem frigescat, quod est, in paulò frigidiore ambientis nos aëris constitutione tantisper immoretur, siue decumbat, dum sanguis & spiritus per phlebotomiam exagitati, sedentur & conquiescant. Atque huic quidem interpretationi astipulatur etiam Ioannes Fernelius, qui in libello de vacuandi ratione, cap. 19. in hunc modum scribit. Neque igitur ad consueta munia properet, neque celerius inābulet, neq; vllo exercitationis genere se fatiget, neq; vtatur Venere, neq; protinus calidiora loca ingrediatur, neque in balneū descēdat: quandoquidem sanguis & spiritus vehemētius incitati, ne dißipentur, aut incalescant, sedandi comprimēdique sunt. Hactenus ille. Vel Minutè, aduerbialiter hîc accipiēdum, pro eo, quod est parum siue paulisper, vt referatur scilicet ad ea, quæ immediatè præcedunt, & sit hic sensus: Sumpto cibo, cœlo

frigidiori te paulisper exponito: quò calor innatus, propter circunstantem extrinsecus frigiditatem ad interiora refugiens & secedens, meliorem & concoctionem, & sanguificationem, tum etiam nutritionem operetur. Experientia siquidem constat, calorem per seipsum, ac sponte quidem post cibi sumptionem, vt eum mutet facilius, ac concoquat, in profundum refugere, atque hinc adeò fit, vt exteriora corporis membra, quæ antè vtcunque calida sentiebantur, à prandio atque cœna frigore & tremore concutiantur. Quare naturæ in eo, quod rectè operatur, opitulandum est. Nonnulli verò in hunc modum exponere maluerunt. Ne is scilicet, cui vena secta est, se subitò calfaciat, sed paulatim, quòd subitæ mutationes citra læsionem non facilè contingant. In eiusmodi enim permutationibus quod plurimũ existit atque repẽte, periculosum est satis: quod verò paulatim fit, tutum, vt inquit Galenus aphorismo. libro secundo, commentar. 51. idem testatur etiam Aristoteles Sec. 8. problemate 15.

DE RECREATIONE VIsus additio.

Fons, speculum, gramen, hæc dant oculis releuamen.

Mane igitur mõtes, ſub ſerum inquirito fontes.

Tria hoc loco recenſentur, quæ inſitæ naturæ vi & ſubſtantiæ quadam ſimilitudine oculos recreãt, & viſum maximè conſolantur.

Fons. *Primum, fons, per quem quælibet pura & perſpicua aqua, ſiue ea ſit fontium, ſiue fluuiorum, ſiue etiam puteorum intelligenda eſt. Hæc enim ob cognationem & ſimilitudinem, quam cum oculis habet, viſum citra violentiam congregans ad naturam reducit & recreat.* τὸ γὰρ κατὰ φύσιν ἀεὶ χρήζει τῶν ὁμοίων, *inquit Galenus apho. lib.* 1. *cõment.* 16. *Oculi autem frigidi & humidi, perſpicui atque omnium partium nitidiſſimi & pulchrè politi ſunt, perinde atque aqua: quocirca ab eiuſdem aſpectu eos corroborari, ſimul ac refici conſentaneũ eſt. Atque hoc ſanè conſilio Ariſtot. Alexandrum illum cognomento Magnum inſtituens, ei præcepiſſe videtur, vti frequenter ac diutius aquam viridem, claram, & perſpicuã intueretur, oculóſque in ipſam ſubmergeret, eiúſque rei non contemnendum habemus teſtem Ioannem Meſuen, in opere practico de ægritud. oculo. Cæterùm ſi nulla fontiũ,*

aut fluuiorum inſpiciendorum facultas fuerit, oculis profectò ex aqua frigida, claræ & perſpicuæ in peluim viridem infuſæ cõtuitu eadem accedet commoditas.

Secundum, ſpeculum, quod & ipſum vtique oculorum aciem eadem ratione excitare putandum eſt. Oculus nãque læuis eſt, & lucidus, ac ſplendens, inſtar ſpeculi, quod tum experientia inter omnes conſtat, tum à Plinio quoque lib. II. cap. 37. oſtenditur. Oculis, inquit, abſoluta vis ſpeculi, adeóque vt tam parua illa pupilla, totam imaginem reddat hominis. Ea cauſa eſt, vt pleræque alitum è manibus hominum oculos potiſsimùm appetant, quod effigiem ſuam in iis cernentes, velut ad cognata deſideria ſua tendunt. Cauſa etiam, cur ſpeculi inſpectione oculorũ acies excitetur, adeóque viſus ſubſtantia conſeruetur, hæc adſignari poteſt, quòd radii in ſuperficie ſpeculi collecti, cùm ob denſitatem & duritiem eius vlterius procedere non poſsint, minimè diſſoluantur ac diſsipentur ob æqualitatem læuitatémque ſeruentur infracti, ob nitorem verò augeantur, & multò, quàm prius erant, reddantur fortiores. quod nec ipſum ſanè Ariſtoteles, Meſue referente, ignorauit, cùm eundem illum Alexandrum adhortaretur Speculũ.

tur, vti se subinde ad tersum & directum speculum contueretur, & longiori deinde tẽporis spacio oculorum aciem in ipsum defigeret.

Conspicilia.

Vitrea quoque vocata conspicilia visus substantiam conseruant, adeóque præstant, ne oculi minutioribus rebus contuendis victi fatiscant, néue spiritus resoluantur. Atque hinc certè gemmarum sculptores & aurifices subtiliter quidpiam ac ingeniose sculpturi, eiusmodi vtuntur conspiciliis, aut sanè per vesicam ex tenui, puro, atque albo vitro conflatã, eámq; clara & perspicua aqua plenam, oculorum aciem rei scalpẽdæ intendũt. Cur verò ita visus non defatigetur, in causa est, quòd species de medio clariori ad dẽsius permeantes, maiores simul & craßiores appareant, adeóque visum conseruent.

Viridia.

Tertium, gramen, per quod quarumlibet herbarum, frondiúmque ac aliarum etiam rerum virentium contuitus accipiendus est. Oculis enim iucundißimum spectrũ viriditas est. Atq; hinc sanè Aristoteles problema. 20. Sectio. 31. quærit. Quam ob causam, cùm cæteras intuimur res, conspectus noster peius afficiatur atq; fatiscat, cùm ad virides, & herbescentes inspicimus, vt olera, cæteráq; his similia, recreetur, melioráq; euadat?

nadat? An, inquit, conspectũ in alba, nigráue intendere minimè possumus, propterea quòd vtrunq; id genus coloris videndi viribus officit, colores autem illi, quibus oculi acquiescunt, medium albi, nigríue obtinẽt, itaque aspectus cùm mediocri leníque obuio afficiatur, nihil debilitatur, imò verò corroboratur atque reficitur. Hæc ille.

Quanquam autem viridia omnia, vtpote temperatissima, visum maximè colligant, atq; oculos reficiant, inter ipsa tamen alia aliis efficaciora inueniuntur. Sic certè nullius aspectus Smaragdo iucundior est. Quod Plinius lib. 37. cap. 5, disertè iis verbis significauit. Herbas virentes, inquiẽs, frõdésque auidè spctamus, Smaragdos verò tãtò libẽtius, quoniã nihil omnino viridius cõparatũ illis viret. Præterea soli gẽmarum cõtuitu oculos implẽt nec satiant. Cùm & ab intẽtione alia obscurata, aspectu smaragdi recreatur acies. Scalpentibus gemmas non alia gratior oculis refectio est, ita viridi lenitate laßitudinẽ mulcent. Idem ferè lib. 29. cap. 6. de scarabeo viridi scriptum reliquit. Scarabei, inquit, viridis natura, contuentium visum exacuit. Itaque gemmarum sculptores contuitu eorum acquiescunt. Neque obstat, quod Galenus cap. 2. & 6.

lib.1.de Sympt.causis, vbi ex professo de iis, quæ oculos aut molestant, aut tristãt, agit, & lib. 10. cap. 3. de vsu part. cæruleo & fusco recreandi & reficiẽdi visus quàm maximam vim inesse scribit. Sunt enim & hi colores medii atque temperati, adeoque ob id oculis gratum & iucundum spectaculum præbent, visúmque morbo affectum, aut fatigatum corrigunt ac recreant, quod omnibus sanè coloribus ad medium inclinãtibus commune est.

Hoc igitur prouidentes pictores, quando in albis coriis, & cõsimilibus rebus, quibus facilè visus offenditur, pingunt, colores cæruleos ac fuscos apponunt, in quos subinde intuentes, recreant oculos ac reficiunt. Atque etiam ophthalmia laborantes lux quidem offendit, eósque deprehendit. Fusca verò ac cærulea sine dolore intuentur.

Quæ hactenus dicta sunt, ea omnia Marsilius Ficinus lib.2.cap.14. de producenda vita, planius & dilucidius iis verbis expressit. Causam, inquiens, perquiremus, ob quam color viridis visum præ cæteris foueat, salubritérque delectet. Inueniemus tandem naturam visus esse lucidam ac lucis amicam, volatilem tamen ac facilè dissipabilem. Idcirco dum per lucem se dilatat

velut

velut amicam, interdum nimio lucis excessu rapitur prorsus, & vehementi dilatione dissoluitur, tenebras autem naturaliter velut inimicas fugit, ideoque radios in angustũ inde retrahit. Optat verò visus ita perfrui lumine, vt per amicum hoc suum amplificetur quidem, nec tamen interim dissipetur. Iam verò in quocunque colore plus admodum tenebrarum, siue nigredinis, quàm lucis, non dilatatur radius visus ad votum. Vbi vicissim plus admodum splendidi coloris est, quam nigri, spargitur latius, noxia quadam voluptate distractus. Quamobrem color viridis, maximè omnium, nigrum cum candido temperans, præstat, vtrunque delectans pariter atque conseruans, & molli insuper & adhuc tenera qualitate, sicut & radiis oculorum absque offensione resistit, ne abeuntes longius disperdantur. Quæ enim dura sunt & aspera, frangunt quodam modo radios, quæ verò rarissima sunt, dissolutioni aditum patefaciunt: sed quæ soliditatem aliquam habẽt, læuémque simul æqualitatem, sicut specularia corpora, nec ipsa quidem frangunt, neque longius disperdi permittunt. Quæ denique præter hæc beneficia, tenera quoque sunt & mollia, sicut aqua résque virides, liquidis oculorum

culorum radiis mollicia blandiuntur. Denique visus radius quidam est, in quadam oculorum aqua naturaliter nobis accensus, ac temperatum lumē in aqua quodam modo resistente requirit. Itaque gaudet aqua, delectatur speculis similibus, viridibus oblectatur. Hactenus ille.

Addit Mesues Exercitationem quoque legendi scripta maiusculis literis exarata, visum corroborare, adeóque non parum ad tuendam oculorum sanitatem conducere.

Posteriore versu innuitur: Oculos matutino quidem tempore, montium, vespertino verò fontium collustratione recreandos & reficiendos, quorum ratio ex prædictis facile elici potest. Per montes porrò viridaria, hoc est, loca herbis & plantis virentibus consita, intelligenda sunt. De conferētibus visui, plura infrà cap. 89. & nocentibus verò cap. 78.

DE DIVRNO, SIVE Meridiano somno Cap. III.

SIt breuis, aut nullus tibi somnus meridianus.

Febris,

Febris, pigrities, capitis dolor, atque catarrhus,
Hæc tibi proueniunt ex ſomno meridiano.

Quatuor diurni ſiue meridiani ſomni incommoda hîc referuntur. Primum, febris, quæ dupliciter per ſomnum diurnum accendi poteſt, vno quidem modo in ſpiritibus, altero verò in humoribus. In ſpiritibus quidem, quia acres & fumoſæ exhalationes, quæ vigiliis diſpergi ſolent, ſomno diurno nõ mo lò retinentur, ſed etiam augentur: iis itaque retẽtis ac vnà cum ſpiritibus permiſtis, contingit, vt calor inde extraneus collectus febrilis fiat. Atque hæc ſanè febris, cùm nihil ſtabile, nihil firmum habeat, ſed vti celeriter generatur, ita ſoluitur; etiã ἐφήμερα Græcis, hoc eſt, diaria vocata eſt, quòd ferè diem non excedat. In humoribus autem tum hæc iam dicta febris, ratione nimirùm flatuum, qui ex cruditate proueniunt, tum etiam putrida per ſomnum diurnum accenditur, quòd calore & ſpiritibus interdiu ad exteriora protenſis virtus concoctrix debilitetur. Perfecta enim & abſoluta concoctio ſit, quando calor & ſpiritus cohibẽtur, Febris cauſa.

&

& in profundum corporis secedunt. Ob eum nanque motum calor naturalis incensus auctiórque redditus, optimè cibos, non solùm in ventriculo, verumetiam per vniuersi corporis habitum conficit. Quod noctu potissimum fieri rationi consonum videtur, etenim tunc calor, propter circunstantem extrinsecus aeris frigiditatem, ad interiora refugiēs, cibum facillimè mutat, concoquit, & in mēbra distribuit. Interdiu verò contrà, ad exteriora eductus & expassus perfectam elaborationem non attingit, quare humorum cruditatem progignit, ex cruditate deinde oppilatio, ex oppilatione putredo nascitur, ex putredine tandem humorum ad cor effumantium febris putrida accenditur, quemadmodum Auicenna li. 4. Tract. 2. cap. 1. copiosè docet.

Pigrities. Secundum, Pigrities, quæ & ipsa eodem ex fonte manat ac funditur. Ex crassa nanque & incocta materia in ventre vaporosi ac crassi exhalantur spiritus, qui ad caput elati, plus æquo cerebrum humectāt: eo autem humectato, nerui quoque qui à cerebro propagati per corporis partes prorepūt, plurima humiditate opplentur: exuperantia præterea humiditatum, quæ ad musculos, tendines & articulos confluere solent, tantùm

tùm abeſt, vt ſomno diurno diſsipetur, vt multo pertinacius etiã hærẽs augeatur. Neceſſe igitur eſt, ex eiuſmodi ſubinde ſomno omnibus motibus volũtariis pigritiã ſequi, & veluti in ſeipſo diſſolutum hominem apparere, quemadmodũ diſertè Galenus aph. lib.3.comment.5.oſtendit. Contrà verò, vigiliæ diurnæ hoc præcipuè nomine commendantur, quòd non modò exuperantem cerebri humiditatem exiccent, adeóque ſpiritus extenuent ac temperent. ſed certè corpori ſimul atque animo promptitudinem quandam & robur ad ſolitos motus addant.

Tertium, Dolor capitis, qui & ipſe ab iiſdem initiis proficiſcitur. Ex cibo nanque incocto in vẽtre vapores craſsi excitati in caput feruntur, qui ibidem, ob dictas cauſas, retenti nimia humiditate, quàm potius vigiliis exiccantibus abſumere conueniebat, cerebrum opplent, & ob eã rem caput perturbant, eiúſq; dolorem, grauedines, & frigidos morbos pariunt, paululum verò inde moti, ſi ad cutem peruenerint, faciẽ vitiato colore inficiunt. Materia enim praua exiſtẽte, neceſſe eſt, quicquid inde defluit eſſe prauum. Quod Gal. aph. li.1. comm.14. ita ſcribens innuere voluit: Oportet ſimilẽ eſſe defluxũ ſubiectæ ſubſtantiæ, vt quando humi-

Dolor capitis.

da atq; aerea substantia existit, tunc quod ab ea defluit, vaporosum est atq; suaue, &c.

Catarrhus.

Quartum, Catharrus, quo generatim hoc loco, tametsi minus propriè, omne ῥεῦμα, hoc est, quilibet excrementitii humoris ex capite in subiectas partes descensus significatur, qui iuxta partium, ad quas defluit, diuersitatem, diuersa quoque nomina sortitus est, quẽadmodũ Galenus lib. 3. cap. 4. de Symp. causis, Paulus lib. 3. cap. 28. & Aetius lib. 8. cap. 53. disertè scribunt. Vbi enim ad os ac fauces, & mox ad stomachum siue gulam, atque inde in ventriculum defluxus contingit, simplici vocabulo Græcis κατάρροος & contractè κατάρρους, Latinis destillatio dicitur. Dum ad nares decumbit, κόρυζα Græcis, Latinis Grauedo vocatur. Vbi verò ad palatum & asperam arteriam delabitur, vt etiam membranam interiorem, quæ hanc integit, exasperet, rauca vox efficitur, vocatúrque hoc malum Græcè βράγχος, Latinis raucitas, siue raucedo, id quod ex hisce etiam versiculis, qui infrà ca. 82. habentur, manifestò apparet.

Si fluat ad pectus, dicatur Rheuma Catarrhus,
Si ad fauces Branchus, si ad nareis, esto coryza.

Habet

Habet autem hoc incommodum eandem omnino cum præcedentibus originem. Vapores enim & fumi, qui vigiliarum tempore per cutem resolui ac dißipari solēt, somno diurno retenti, dum in caput impetum faciunt, cerebrum nimia humiditate replent. Caput itaque repletum humores in subiecta refundens ῥεῦμα progignit, præter hæc & alia nonnulla somni diurni mala Auicenna 3.1.doc.2. cap.9. enumerat. Nam & frigidas atque humidas ægritudines, παραλύσεις nimirum & defluxus ad articulos, ob retentionem humiditatum, quas vigiliæ resoluere ac dißipare solent, nonnunquā procreat. Genuinum faciei colorem, velut paulò antè etiam dictum est, corrumpit. In sanguine enim excrementitias atque aqueas humiditates, lotio similes, multiplicat, quæ cū suo tempore per vigilias nō dißipentur, vnà cum sanguine ad cutem expulsæ, ipsam deprauant, adeóque subtumidam & decoloratam reddunt. Induratam ad hæc splenis affectionem gignit, in corporibus promptè se habentibus ad incidendum in talem paßionem. Crassus nanque & melancholicus humor, somno diurno in splene retētus, huic malo initium præbet. Somnus diurnus.

Quemadmodū enim vigilantia motū ac

liberum craßi humoris transitum per angustos meatus, siue canales, solis calore vias aperiente, promouere, sic contrà, eundem somnus, & præcipuè diurnus, transitu prohibere solet. Melancholia enim interdiu nullo negocio per canales suos trāsit, & illac cum primis, qua excitandæ appetentiæ causa, à splene ad orificium ventriculi meatus protenditur. Etenim splen recremēta & redundantias suas per eum expellit, atque eiicit, adeoq; ad cibos auiditatem reuocat. Quod interdiu potius, quàm nocturno tempore fieri par est.

Quinetiam, vt idem autor tradit, ciborum appetētia diurno somno plurimum debilitatur & restinguitur, ídque partim ob prohibitionem resolutionis, quæ est prima causa famis, partim verò ob repletionem ventriculi ex fumis, vaporibus, & humiditatibus orificium eius relaxantibus ac saturantibus. His accedit nonnunquam ἀποστημάτων, siue abscessuum generatio, superfluitates nanque ex somno diurno multiplicatæ sæpius in membro aliquo coaceruantur, ipsúmque tumidum reddunt. Planè igitur ex his omnibus constat somnum diurnū, siue meridianum, à sanitatis tutela, procul abesse debere.

Duas porrò causas quòd potißimum lædat, Paulus libro primo, capite nonagesimo septimo. & Auicenna 3.1.doc.2.cap.9. assignant. Quarum prima quidem est, quòd cito & ante horam suam interrumpatur. Calor enim natiuus per somnum ad partes interiores recedit, contrà verò calor solis eundem ad membra exteriora, tanquam ad simile, educit atque expandit, vnde sanguinis & spirituum exagitationem, quæ somnum interrumpat, cieri necesse est.

Consulitur ergo, si quando necessitas per id tempus dormire coegerit, vt in vmbra & tenebroso loco, & antè potius, quàm post cibum, hoc fiat. Secunda verò, quòd naturam stupidam, quasique perterritam reddat, adeò vt retrahatur ab eo, in quo erat, nimirùm à ciborum concoctione. Tempus itaque, quo obdormiscunt, ad absolutam ciborum concoctionem non sufficit, quo fit, vt à meridie resurgentes, subinde acidos ructus edant, & flatibus repleantur: nonnulli verò fluctuatione ventris infestentur.

Cæterùm optimus somnus est nocturnus, quoniam nox naturali humiditate, silentióque animum in somnum deducens, absolutam molitur cococtionem. Post somnum item nocturnum plurima parte ad excre- Somnus nocturnus.

tionem recrementorum instigamur.

Illud tamen ignorandum non est, quòd licet somnus diurnus in vniuersum reprobetur, nocturnus verò, vt præstantissimus commendetur, ex diurno tamen minus offendat, si dormiatur, prima luce ad tertiam diei partem. Id quod *Hippocrates libr.* 2. *prognost. aphor.* 11. *clarissimè ostendit.* De *somno, inquit, quemadmodum secundum naturam nobis in consuetudine est, interdiu vigilare, noctu dormire conuenit: si tamen hoc transgressum fuerit deterius est. minimè verò nocebit, si dormiatur prima luce ad tertiam diei partem. Quam sententiam* Ga*lenus explicans ita scriptum reliquit: Quod consuetum est, bonum est:* Incon*suetum verò malum est.* At *verò temporibus* Hippo*cratis non aliud fuit ex natura, aliud in consuetudine.* Nunc *verò diuites econtrario agunt, tum in quibusdam aliis, tum etiã in somno, interdiu dormientes, noctu vigilantes.*

In *his igitur, vt somnus minus lædere possit, quinque conditiones,* Bertrutio *autore, obseruandæ sunt.* Prima, *vt sit in consuetudine.* Ex *multo enim tempore consueta, etiamsi deteriora fuerint, inconsuetis minus molestare solent. aphorism.* 50. *libro* 2.

Secunda,

Secunda, ne statim à sumpto cibo ineatur. Tertia; ne depresso, sed erecto nōnihil & bene alto capite fiat. Quarta, ne modum excedat. Quinta, ne tumultuosa & subita ab ipso sed lenis & modesta fiat expergefactio. Porrò quod ab Hippocrate dictum est, à prima luce ad tertiam diei partem conuenire somnum, id spacium est ab ortu solis quatuor aut quinque horarum. Nam dies significat spacium temporis, quo sol trāsit nostrum hæmisphærium, vt etiam distinguitur contra noctem. Quemadmodum Christophorus à Vega fusius in comment. declarat. Dies.

Additio.

Tempus itaque somni conuenientissimum est vespertinum, aut nocturnum, sempérque cauendum, ne statim à cœna ineatur, sed vnius minimum, aut duarum horarum interuallo discludatur. Ingestus enim cibus, quem statim somnus excipit, in suprema vētriculi parte supernatans, probè concoqui non potest, Galeno lib. 5. cap. 5. de locis affectis teste. Neque enim ventriculus tum potest cibum arcte complecti, quod idem lib. 3. cap. 4. de faculta. naturalib. ad bonam concoctionem cum primis necessarium esse scribit, quare multos vapores, qui multitudi-

ne sua caput repleant, gigni necesse est, vt rectißimè idem Galenus comm. 67. aphor. lib. 4. dixerit: A cibo ad somnum conuersis, hoc est, qui sumpto cibo statim dormiunt, impletur caput. Vt igitur huiusmodi periculum excludatur, lenta deambulatione, aut aliqua simili, leuißima tamen, exercitatione corpus dimoueri opus est, prius quàm somno indulgeatur, vt cibus in imum ventriculi paulatim descendat. Ibi enim, vt suprà ex Galeno dictum est, concoctionis opus potißimum perficitur. Quo tempore etiam conuenit audire instrumenta Musica, cantus, facetias, & historias iucundas, ac conferre sermones cum amiculis de rebus lætioribus, donec cibus subsedisse videatur.

Dormiendi ratio. Ceruicali vtendum est satis elato & eminenti, vt quoad eius fieri potest, erecto & bene alto capite dormiatur, ne cibus ad os ventriculi regurgitans, concoctionem impediat. Hoc etiam modo cibus, qui ad plenum nondum subsedit, facilius ad inferiores vētriculi partes descendet, probiúsque concoquetur.

Inter dormiendum corpus pro ambientis aeris constitutione decenter tegendum est, ne calore & spiritibus circa interiora

detentis,

detentis, externæ corporis partes à frigore oblædantur.

Caput quoque noctu conuenienti tegumento, quod καπνοδόχην habeat, hoc est, foramen instar infumibuli eliciendis vaporibus aptum, operiendum est.

Calceatis verò siue vestitis pedibus dormiendum non est. hoc enim si quid Magnino excellentissimo medico credimus, visum debilitat, memoriam lædit, & totum corpus extraneo calore æstuare facit.

Supra dextrum latus somnus inchoandus. Hoc enim modo cibus promptius ad ventriculum descendet. Nam etsi gula exactè supra mediam ceruicis vertebrarum, & quatuor primarum thoracis sedem, in neutram partem inclinet, ad principium tamen quintæ thoracis vertebræ, aut ampliori magnæ arteriæ trunco secundum dorsi vertebras inferiora corporis petenti cedat, nonnihil in dextrum latus à media vertebrarum regione abscedit. Deinde primo somno finito reuoluendum est corpus, supráque sinistram redormiendum, quò scilicet à iecore ventriculo incumbente concoctio eius adiuuetur. Hinc rursus post breue temporis interuallum in dextro latere ad consuetũ surgendi tempus continuandus est.

Pronus

Pronus decubitus temperatis corporibus non conuenit: ventriculi enim contorsionem & repreßionem facit, adeóque oculos obledit: ita enim cubantibus superfluitates in oculos declinant, maximè si fuerint natura debiliores. Iis tamen, quibus ingestus cibus tardius in ventriculo conficitur, interdum concedendus est, quòd calorem naturalem arctius comprehendens retinere atque augere poßit.

Supinus verò grauißimis ægritudinibus, lepræ nimirum, maniæ, incubo, epilepsiæ, apoplexiæ, stupori, neruorúmque resolutioni, & similibus initia præbet. Nam ob superfluitatum ad posteriora fluorem non potest iusta per nares & palatum earundem fieri expulsio. Plinius *lib.*28.*cap.*4. Pronus *decubitus tußibus conducere, at supinos oculis tradit.* Idem *ex* Theophrasto *refert, celerius concoqui dextri lateris incubitu, difficilius à supinis.*

Duratio autem somni ex alimentorum perfecta concoctione æstimanda est, ita quidem, vt septem horarum spacio non sit minor, neque octo, vel ad summum nouem excedat, vt colligitur ex Galeni *de* Sanitate *tuenda lib.* 6.*cap.* 6. *Plura habentur apud Auicennam* 3.1.*doc.*2.*cap.* 9. *Magninū parte*

te

te 3.ca.7.& nostræ ætatis doctissimum medicæ artis scriptorem Leonhartum Fuchsiũ, ca.26. Methodi perueniendi ad medicinam. Ex iis itaque, quæ conueniunt, in hunc locum studiosi transferent.

DE FLATV IN ALVO detento. Cap. IIII.

1. Crampe ou convulsion.
2. L'hydropisie.
3. La Colique.
4. Vertige ou etourdissement.

QVatuor ex vento veniunt in ventre retento,
1. Spasmus, 2. Hydrops, 3. Colica, &
4. Vertigo, hoc res probat ipsa.

Hic agitur de quatuor nocumentis, quæ ex flatuum retentione proueniunt.

Primum, est σπασμὸς *Græcè, Latinis conuulsio dicta. Flatus enim retẽti in fluxu suo sæpe neruos plus iusto referciunt: illis itaque repletis, Galeno libr. 2. cap. 2. de Sympto. causis, teste, tendi primum, ac deinde in conuulsionem incidere contingit. Ea porrò ibidem à Galeno in hunc modum definitur. Conuulsio malum est, quod neruos musculósque ad eundem cogit affectum, in quem ab animali facultate, quum naturalẽ habitum seruarent, ducebantur. Vel aliter,* Spasmus.

velut

velut idem apho.lib.6.comment.39. definit. Conulsio est passio inuolũtaria, in qua nerui atque musculi præter voluntatem cõuelluntur, in eúmque affectum veniunt, quem etiam in motibus secundum arbitrium factis, assumebant. In hoc enim malo nerui atque musculi in eas partes attrahuntur, quibus innascuntur. Attractio nanque fieri non potest, nisi musculus ad suam originem retrahatur.

Quod ad causas eius conuulsionis, quæ primogenia affectio est, attinet, animaduertendum est, Hippocratẽ *apho.39.lib.6. duas duntaxat statuisse,* πλήρωσιν καὶ κένωσιν, *hoc est, plenitudinem & inanitionem neruosorũ corporum. In conuulsione siquidem à plenitudine membrũ crassis & glutinosis humoribus impletum extenditur, & extensione conuellitur, quemadmodum lora & chordæ extenduntur, vbi multa madent humiditate, & hæc subitò contingit. In ea verò, quæ ab inanitione proficiscitur, membrũ exiccatur, & ad seipsum conuellitur, adeóque secũdum longitudinem ac latitudinem contractum diminuitur, quemadmodum membranis accidit, cùm igni apponũtur, & hæc sanè paulatim, & ex longiori temporis interuallo accidere solet. Plura Galenus locis iã*

citatis,

citatis, & lib.2.cap.2. & lib.3.cap.5. & lib. 6.cap.5.de locis affe. & lib.8.cap.3.de compos.med.local. & alibi sæpius.

Secundum, ὕδροψ, quod malum Latini aquam intercutem nominant, & definitur à Bertrutio Sect.3. Tract.2.cap.4.in hunc modum: Hydrops est morbus materialis ex re frigida, plurima, ingrediente & membra omnia manifestè, aut loca partium, in quibus cibi & humorum concoctio perficitur, inflante, procreatus. Vel aliter, sicuti ab Alexandro Tralliano libr.9. cap.1.definitur: Aqua inter cutem, & ipsa longus quidam affectus est, iecore adeò refrigerato proueniens, vt ipsum non amplius deinceps cibos in sanguinem, sed in aliam qualitatem, aut in aquam, aut pituitã, aut flatum transmutare possit. Quod certè & Galenus apho.6. commen.12. iis verbis confirmat. Aqua inter cutẽ fit, cùm sanguinis generatio frustratur.

Et huius quidem cùm tres sint species: vna enim Græcis ἀσκίτης, alia τυμπανίτης, & tertia ἀνασάρκα, ὑποσάρκα. Σαρκίτης & λευκοφλεγματία dicitur, non de omnibus promiscuè hoc secundum nocumentum, sed de tympanite tantùm intelligendum est. Quæ quidem accidit, quum flatus ac spiritus superuacuus plurimus cum humidi momento Hydrops.

intra

intra membranam, quæ περιτόναιος Græcè, Arabibus verò cõmuni membranarum nomine Ziphac appellatur, & abdomen, quod iidem Mirach nominant, colligitur. Stomacho nanque & iecore frigida intemperie laborantibus, fieri non poteſt, vt cibus ingeſtus in χυλόν benignum aut ſanguinem mutetur: conuertitur ergo in materiam flatulentam, quæ cùm neque per ſuperiora ructu, neque per inferiora crepitu, nec aliundè, obſtante viarum obſtructione, vel ſequeſtratrice & expultrice ſuperfluitatum vi debili exiſtente, aut inepto aliquo pudore prohibente, expellatur, in prædictis ventris locis colligitur, & aquam inter cutem contrahit, in qua abdomen percuſſum tympani modo crepitum elidit, qua ratione etiam Tympanites nuncupatur.

Colica. Tertium, colica paßio, quæ grauis quidã ac vehementißimi doloris morbus eſt: perinde enim ac ſi terebro partes perforentur, aut palus infixus ſit, moleſtare ſolet, Galeno lib. 2. cap. 1. de locis affect. teſte. Contingit autem in pleniore & laxiore inteſtino, quod κῶλον Græcè vocatur: cuius etiam meritò vehementes cruciatus inducit. Denſum enim, craſſum, & neruoſum eſt, ac nihil quod in illud confluit, facilè diſcuti poteſt.

Et

Et quemadmodū in hoc κωλικὴ ὀδύνη, ita in gracili ac superiore intestino, quod Galeno, Iulio Polluci, & aliis Græcis λεπτὸν vocatur, similis morbus existit, grauissimos & letales dolores inferens. Hippocrates in Aphorismis, & passim in locis εἰλεὸν appellat, quemadmodum etiam Galenus vbique, & potissimum libro sexto, capite secundo, de locis affect. à circumactione nimirùm doloris. Quippe εἰλεῖσθαι circumagi, & conuolui significat. Ideò conuoluulus etiam Latinis hoc malum nominatur.

Rationi porrò consentaneum est, flatuosum & frigidum spiritum in dictis intestinis retentum & egredi nequeuntē, hæc mala plurimum progignere, id quod Galenus etiam loco paulò antè citato monstrat.

Quartum, vertigo. Flatuosus enim spiritus inclusus ad cerebrum fertur, & in eius partibus inordinatè mouetur, quò fit, vt obtenebrationes hebetudinésque oculis obuersentur, & omnia circumagi & rotari videantur. Vertigo.

His Auicenna 16. Tract. 4. cap. 28. Epilepsian quoque adiungit, cuius eadem omnino cum præcedente ratio est. Porrò quonam modo hæc retentio in singulis iam dictis locis malū ingeneret, pulcherrimè ex Galeni Epilepsia.

lib.

lib.3.de Sympto. causis, cap.1.demonstrari potest. Crepitus enim qui ad sedem defertur, ac vel in foro, vel alio quopiã loco existentibus, aut negocio aliquo, quod deserere non liceat, violenter retinetur, rursus sursum reducitur, ventrémque mordet, ac caput vaporando implet, principio quidẽ ab animali organo sphinctere, id est, musculo ad imum intestinum accepto, hinc verò vnoquoque intestino retro illum à se ad supra se positum trudente, simili modo ac prius in præceps trudebat, atque ita quidẽ hæc retentio, præsertim frequentior, longo tẽporis tractu prædicta mala excitat. Proinde rectißimè ab Hippocrate lib.2.prognost.apho. 24.in hũc modum scribitur, Flatum sine sonitu aut crepitu exire optimum est. Melius autem est cũ sonitu exire, quàm reuolui.

Hac etiã ratione inductus Claudius Cæsar dicitur meditatus edictum, quo veniam daret efflatum crepitúmque ventris in conuiuio emittendi. Cùm periclitatum quẽdam præ pudore ex continentia reperisset. Autor Suetonius in eius vita, cap.32. Veteres enim, vt Plinius lib.28.cap.2.confirmat, per mensas, mundiciarum causa, deflare vetabant. Extat etiam lepidißimũ Nicarchi εἰς πορδὴν epigramma, quo pestiferam retenti fla-

tus

tus vim deſcribit. Id eſt huiuſmodi:

Πορδὴ ἀποκτείνει πολλοὺς ἀδιέξοδος οὖσα,
 Πορδὴ καὶ σώζει τραῦλον ἱεῖσα μέλος.
Οὐκοῦν εἰ σώζει καὶ ἀποκτείνει πάλι πορδὴ,
 Τοῖς βασιλεῦσι ἴσην πορδὴ ἔχει δυνάμιν.

Quos verſus quoniam eleganter admodum Ioannes Laſcaris Latinos fecit, placuit hîc adſcribere.

Interimit crepitus ventris detentus in aluo,
 Et ſeruat blæſum, dum canit ille melos.
Ergo ſi perimit crepitus, ſeruátq; canendo,
 Regibus imperiũ par habet hic crepitus.

Atque hæc ſanè cùm ita ſe habeant, ſatius fuerit, iuxta D. Eraſmi Roterod. præſcriptum, natura incitante, aut ſecedere, ſi liceat, aut deuorato pudore iuxta vetuſtiſſimum prouerbium, Tuſsi potius crepitum diſſimulare, quàm comprimendo morbũ acceřſere. Rectè Stoici, quemadmodũ Cicero lib. 9. epiſt. fa. ep. 22. ſcribit, crepitus aiunt æque liberos, ac ructus eſſe oportere.

DE COENA.

Cap. V.

Ex magna cœna ſtomacho fit maxima pœna.

Vt sis nocte leuis, sit tibi cœna breuis.

Cœna parca.

Præcipitur hoc loco sanitatis suæ studiosis, vt instante somni tempore frugali cœna contenti, ventriculum vario ciborum genere non distentent, sed ea copia ingerãt, quæ vires haud grauet. Nam qui noctu multum ingerunt, primùm quidem somno destituti corporis inquietudine agitantur: deinde verò pustulas faciei, grauedinem capitis, grauеolentiam oris, coli, calculíque dolores, & podagram sibi accersunt.

Neque solùm immodica hæc sub noctem ingurgitatio bonæ valetudini officit, sed aliàs etiam quælibet, vt quæ cruditatem indigestionẽq;, obstructiones, putredines, febres, apostemata, & lepram haud raro generet. Atque eius sanè rei grauißimus testis est Auicenna, qui 13.3. Tract. 1. cap. 36. scribit. Ex rebus ventriculum maximè lædentibus esse immoderatã cibi ac potus ingestionem, & ob id fieri non posse, vt intemperantium, vinosorúmque ac ventri gulæq; deditorum, corpora alantur atque augescant. Cõcoctio enim per vitæ intemperantiam impedita, necessariò humorũ cruditatem efficit. Cruda verò tantum abest, vt incrementum corporis

pori sufficiant, vt omnino ne alere quidem possint, quò fit, vt per vitam variis etiam ægritudinibus conflictentur. Qui verò temperantes in victus ratione frugalitatem sectantur, ii inculpatam vsquequaque ciborũ appetentiam conseruant, optiméque non in ventriculo modò, verumetiam per vniuersi corporis molem cibos conficiunt.

Cauendũ igitur vnicè erit, ne venter torqueatur, adeóque ingestis distendatur, vt pulsus velocior fiat, & vix spirare liceat. Cui enim ad eum modum vorare in deliciis est, variis sese periculis exponit. Simili modo & nauseosa satietas, non ex crassis & prauis solùm, sed etiam subtilibus, & boni succi alimẽtis, vitanda est. Hæc enim tum febres acutas & malignas, tum etiam maximi cruciatus apostemata: illa verò articulorum & renum dolores, podagram, asthma, hepatis atque lienis obstructionem ac σκίρρον, & ægritudines phlegmaticas & melancholicas inducere solet. Proinde optimo quidem iure non nocturna solùm, sed quælibet etiã ad nauseam vsque progrediens satietas, à satietatis tutela excludenda est.

Summopere igitur hoc semper curãdum, ne desiderium edendi penitus expleatur, sed locus aliquis vacuus, & edendi voluptas

ventriculo relinquatur. Quod Auicenna quoque 3. 1. doc. 2. cap. 7. præcipiens hanc ferè ſententiam ſcribit. Cibo nemo ita replendus eſt, vt nihil loci ſit reliquum, ſed à menſa ſemper cum fame recedendum eſt. Huic ſimile etiam vulgò dicitur: Nunquam adeò ventrem cibis expleo, quin apud amicos edendi cella mihi ſuperſit vacua. Et hoc præceptum eos cumprimis tangit, qui natura vehementiorem ad cibos auiditatem cõſecuti ſunt. Quibus verò hæc debilior exiſtit, iis fortaſſè concedi poteſt, vt largius paulò ingerant, quàm appetunt. Apparandi autem, ex ſententia Cornelii Celſi lib. 3. cap. 6. & Aëtii, lib. 9. cap. 20. cibi plures & varii ac optimo apparatu, & vltra dulcedinem etiam illicientes & appetitum irritantes. De cœnæ frugalitate nonnulla etiam ſuprà cap. 1.

Vſitata hoc loco & à multis agitata oboritur quæſtio: Vtrũ videlicet vberius quidem prandendum, parcius verò cœnandum ſit. Quæ ſanè cùm ad hanc materiam propriè pertineat, prætereunda nõ eſt. Breuiter igitur hîc ſubiungemus: primo quidem argumenta, quibus Conciliator plus cibi in prandio aſſumendum eſſe probat: deinde verò Leonharti Fuchſii, quibus è diuerſo colligit,

ligit, cœnam vt plurimũ prandio pleniorem esse debere. Conciliator igitur differentia 121. in hunc ferè modum scribit: Iuxta corporum diuersitatem maior, minórue cibi copia exhibenda est. Illa etenim, aut iam in morbum lapsa sunt, aut sub latitudine sanitatis adhuc existũt. In morbum verò lapsa, aut iunctum habent humoris vitium, aut non. Si sine humoris vitio fuerint, tum liberius est cœnandum. Natura enim in eis ciborum concoctioni solummodo, non etiam superfluitatum, quibus caret, maturationi intenta est: Sin verò humoris vitium adiunctum habuerint, largius prandium concedẽdum est. Quod Auicenna 1.3. Tract.5. cap. 11. iis verbis significare voluit. Ille, inquiẽs, cuius consuetudo non sustinet, vt solùm semel in die reficiatur, diuidat cibum suum in tres partes, & sumat duas tertias in prandio, & reliquam tertiam scilicet partem in cœna post leue exercitium. Eo nanque tẽpore, quo calor solaris viuificus naturæ in concoquendo debili opitulatur, & maior superfluitatum fit resolutio, vberior cibus sumendus est. Hoc autem circa horam prandii magis, quàm cœnæ contingere solet. Ergo &c.

Ad hæc interdiu ob præsentiam caloris

vitalis solis & lucis, melior fit concoctio. Sol enim Aristotele lib. 2. cap. 2. Physicôn, & lib. 2. cap. 10. de generat. & corrupt. teste, est vitæ principium. Concoctio itaque diurna duplex habet calidũ, nocturna verò non. In eiusmodi etiam natura noctu circa superfluorum cõcoctionem magis occupata est, quare multi cibi exhibitione impediẽda nõ est. Et quamuis calor noctu spirituum ad interiora retractione, & somni reductione in quibusdam confortetur, duo tamen simul, alimentum videlicet, & superfluitates conficere non potest, in his itaque cœnæ nonnihil subtrahendum est.

Corporibus verò, quæ sub latitudine sanitatis adhuc robusta & sufficienter sana consistunt, ac sensibilibus superfluitatibus carent, cùm eas propriis meatibus omnes expellant, vberiore cœna vti expedit, vel, quòd eorum natura ciborum cõcoctioni tantùm, non etiam superfluorum, quibus caret, maturationi intenta sit, vel quòd soli corporis robori studeant. Hoc autem noctu magis acquiritur, tum enim amplior fit & sanguificatio, & distributio, atque hinc deinde spirituum generatio.

Corpora verò si à prædicto temperamento ac robore nonnihil recesserint, sicuti

plurima in ægritudinem vsque nunc prolapsa, eiusmodi aut fatigantur exercitio laborioso, vehementi, & continuo, aut non. Si quidem fatigantur, vt sunt corũ qui victum manibus quærunt, ipsis largius prandere quàm cœnare conuenit. Expetitur enim alimentum, non tantùm, vt nutriat, sed etiã humectet & irriget mẽbra, ne arefiant ex forti motu, & vt resolutioni ex caloris incendio prouenięti resistat. In prãdio igitur vberior cibus assumẽdus est: eiusmodi enim copora, propterea quòd ita consueuerint, ob exercitia à concoctionis opere non cessant. Vsus nanque, quemadmodum Auicẽna 3.1. doc.2. cap.7. testatur, res est extra rationem. Calor etiã ex motu auctior redditus, concoctionem ipsis accelerat. Quare ter in die illicięte appetentia cibum ingerunt, & ingestum probè conficiunt.

Sin verò laborioso, vehementi, & continuo exercitio, quemadmodum prædicti non agitentur: hoc enim impresentiarum dupliciter contingit. Aut enim eo interdum solummodo & non continuè fatigantur, aut debili tantùm vtuntur, quod vtique superfluitatum copiam parit. Si exercitio plurimo, vehemẽti, ac laborioso vtãtur, sicuti viri complures ciuiles & plebei circa fortunæ

bona negociantes, aut sanitatis conseruationi intenti, vehementi nonnunquam & laborioso exercitio, diu nimirùm, equitando, iter pedibus faciendo, vel aliud quiddam à consueto fortius agendo, fatigantur, his largiori vtique cœnæ, quàm prandio indulgendum est. Nam si prandium augerent, cui, sicuti priores illi, consueti non sint exercitio adeò vehementi ac laborioso agitari, concoctio ipsorum impedita, prauos humores generaret, horum etiam calor superfluo motu dißipatus debilitatur, cuius quidem circa interiora aggregatio potißima fortitudinis & concoctionis causa existit. Hæc autem noctu magis, quàm interdiu contingit, quare cœna instante nocte copiosius alimentum expetit.

Eorundem etiã corpora, propterea quòd tam vehementi motu antè agitari minimè soleãt, humiditatibus referta sunt, ipsis itaque ad resistẽdum resolutioni & exiccationi, quæ per motũ interdiu occurrentem fiũt, paruus cibus sufficit.

Sin verò exercitiis & occupationibus paucis & leuibus in vita vtantur, præcipiẽdum est eis, vt vberius prandeant, quàm cœnent. Et ratio eius eadem est cum illa, quæ in corporibus nunc ægrotantibus adducta est.

est. Hi nanque, cùm debilem virtutem concoctricem habeant, à calore viuifico & luce Solis plurimum adiumenti percipiunt. Inde enim spiritus propter suum simile confortatur. Ipse enim, vt testis est Auicenna in lib. de viribus cordis, Tract. 1. cap. 2. & lib. 6. naturalium, parti. 4. est lux, aut effigiem habet lucis. Adiumentum etiam ex eo percipiunt, quod superfluitates interdiu poris apertis melius, quam noctu expellantur. Non oportet praeterea eos noctu vel ob id multo cibo distendi, quòd tum natura magis occupetur circa concoctionem crudorum humorum, quos somnus maximè conficit & benignos reddit. Licet enim virtus concoctrix noctu confortetur, tanta tamen esse nō potest, vt simul & cibum & superfluitates superare queat.

Insuper quoque animaduertendum est, in exhibitione copiosioris, aut minoris cibi in prandio, quàm cœna, nonnihil etiam dādū esse consuetudini. Haec enim cùm in tuenda sanitate, tum etiam in profligandis aegritudinibus, plurimum valet, Hippocrate lib. 2. de victus ratione morb. acut. apho. 20. & sequentibus, & ibidem Galeno testibus, Quod vel ex eo ostenditur, quòd omnis subita mutatio, si modū excesserit, non paruā laesionem

Cōsuetudini quid tribuendum.

læsionem afferat. Hinc non temerè *Damascenus aphor. 57. ita scriptum reliquit. Mutare consuetudinem, præsertim veterem, & noxium & pestilentissimum habetur. Quare malas & prauas consuetudines corrigere oportet, sed paulatim ac sensim ad meliora transferre. Neque enim natura patitur eas, quæ subitò fiunt alterationes. Gal. cap. 86. artis Medicin. plura Rhazes lib. 4. capit. 10. ad Almanso. & infrà cap. 55.*

Et sic in vniuersum patet, largius prandendum, quàm cœnandum cùm plurimæ ægritudines sint materiales, & corpora plurima lapsa. Attamen *si semel tantùm in die comedatur, melius est cœnare, nisi oculi aut cerebrum affecta sint: tunc enim Haliabbate 1. practi. 13. teste, melius est prādere, aliàs non parum ægrotantis oculi & cerebrum læderentur. Exigua nanque cœna capiti confert & oculis, Manar. libr. 6 ep. 4. teste.*

Hactenus ex Conciliatore adducta medici excellentissimi, Odus de Odis Patauinus duobus libris de cœnæ & prandii portione, Hieronymus Cardanus lib. 1. contradicentiū Tract. 5. cōtradic. 18. & Leōhartus Fuchsius li. 2. paradox. c. 21. magna ex parte

falsa

falsa esse, firmißimis rationibus conuincunt. Ex quibus Leonharti Fuchsii rationes hîc in oppositum subiungere placuit, vt sanitatis suæ studiosis planè constaret, quid in re tam perplexa aut fugere, aut sequi debeant.

Nemo est, inquit ille, loco iam citato, qui hodie medendi methodum præscribentium libros vel à limine salutauit, qui nesciat vulgatum atque tritum hoc illis esse decretum, vt nunquam non prandio cœna minor sit. Quantum verò aberrent, facilè deprehēdet, qui rem altius expendet. Cœnam enim in omnibus, demptis iis, qui morbis nocturnis & catarrhis seu destillationibus affligantur, prandio pleniorem esse conuenit. Qui enim iam nominatis corripiuntur morbis, horum cœna omnino modica sit, tenuis, sicca, ac præter aliorum morem, noctéque præueniens oportet, vt ingruentibus scilicet morbis, natura ab omnibus aliis muniis libera, vnius morbi concoctioni operam nauare queat. Sunt & qui consueuerunt, minus in cœna ciborū assumere, quàm in prandio, horum certè consuetudo non temerè etiam immutanda erit. Quæ enim ex longo tempore consueta sunt, vt ait Hippocrates, 2. aph. 50. & si deteriora sint, insuetis minus molestare solent.

Cur

Cur autem in aliis omnibus plenior cœna salubrior sit, multa in causa sunt.

Primum autem omnium, noctis mox accedens frigiditas, quæ extrinsecus circunstãs calorem natiuum in profundum secedere, & hoc nomine fortiorem fieri cogit, ita vt necessariò ciborum tum melior fiat concoctio. Et certè idem potest noctis frigiditas, quod aliàs anni tempus hybernũ, aut regio frigida potest. Horum *enim vnumquodque calorem natiuum adaugere potis est.* Testis Hippocrates, *qui libr.* 6. *epidem.* To. 6. *aphor.*6. *sic inquit:* Perfrigidior *in tẽpore & regione frigidis, percalidior erit.* In 1. *apho.* 15. *quoque, ventres hyeme & vere natura calidißimos esse asserit.*

Deinceps est Somnus, *qui cœnam subsequitur: hic enim mirum in modum concoctionem adiuuat.* Sanguis *enim in somno ad interiora magis refugiet, vt testatur* Hippo. 6. *epidem.* To.5. *apho.*29. Cùm *itaque sanguis, cúmque eo calor natiuus per somnum ad interiora secedat, quid mirum si calor auctus fortiorem tum ciborum coctionem efficiat?* Hinc *rectißimè* Hippocra. *lib.*6. *epidem.* To.5. *apho.*10. *dixit.* Labor *articulis & carnibus, cibus verò ac somnus visceribus prodest.* Somnum *quoque optimè cibum*

conco-

cõcoquere testatur Galenus lib.1.de Sympt. causis, cap.8. ita scribens.

Itaque toto hoc tempore, quo quis dormit, animalis facultas quiescere, naturalis verò validius agere videtur. Cuius rei coniecturam ex eo facies, tum quòd ipsa si quãdo laborauerit, post somnum robustior euadit, idque maximè cùm à modico cibo somnum admittimus, tum etiã quòd per somnũ cibus optimè concoquitur, non solùm in vẽtriculo, verumetiam per vniuersi corporis habitum.

Cui subscribit quoque Paulus Aegin. li. 1. cap.97. dicẽs: Somnus est animalium facultatum quies, ab vtili humore cerebrum madefaciente proueniens. hunc qui ritè capeßit, multa consequuntur commoda: cibos enim conficit, humores digerit. Quòd autem hac ratione plenior cœna esse debeat, testatur Galenus, vel quisquis tandem eius libri autor fuit, in libro de dissolutione continua, in hanc sententiam scribens: Antiqui cœnã prandio præferebant, præcipientes plus ciborum in cœna sumendum esse, ob caloris circa interiora aggregationem noctis frigiditate, & per somnum factam: calor nãque in somno ad interiora corporis reuocatur, eadémque calefacit, perinde vt in vigilia Somnus.

contra-

contrarium planè accidit. Id quod Hippoc. etiam epidem. 6. To. 4. apho. 12. iis verbis indicauit. Planè vigilans calidior circa exteriora, frigidior verò circa interiora. Dormiens contrà.

Sed hîc reclamabunt quidam, plenioremque cœnam ideò damnabunt, quòd pleno ventre ingrata sit quies, atque adeò somnus minus conueniens. His ita responsum volo. Nemo est tam sine sensu communi, qui nesciat inter cœnam & somnum aliquid tẽporis interuenire debere, neq; quemadmodũ in brutis, nullam aliam nisi vorandi ac mox dormiendi vicißitudinem esse, quũ omnium medicorum consensu consultum sit, quo aut hora aut amplius intersit.

Neque etiam est, vt pleniorem cœnam quis eam esse putet, qua multa ingeruntur tanta voracitate, vt vix spirare liceat, & periculum sit, ne vel crepent, qui ita sese replent, sed frugalem potius, talem tamen in qua plus, quàm in prandio absumitur ciborum. Quod si tamen hîc peccatum fuerit, melius certè in cœna, quàm in prandio fertur, quòd somnus post cœnam non diu subsequens, facilius delictum, quàm vigilia, quæ prandium concomitatur, corrigat. In somno enim, vt diximus, calor in-

teriora

teriora petit, & quæ illic sunt cibis concoquendis solis vacat. Interdiu verò ad exteriora protrahitur, neque iis, quæ intus sunt, prospicere potest, adeò vt verissimè dixerit Hippocrates 2. victus acutorum. 59. Vigilia vehemens cruditatem incoctionémque ciborum tum potionis efficit.

Porrò cur cœnā prandio pleniorem esse oporteat, & hæc ratio est, quòd rara admodum existat corporis facultas, quæ paulò liberalius prandium spacio vel quinque vel sex horarum, quod ferè inter prandium & cœnam interest, conficere possit. Quantum autem incommodi adfert, si quis nōdum planè concocto eo, quod prius ingestum fuit, aliud ingerit? morbum nimirùm facit. Vbi enim cibus præter naturam plus ingestus est, vt ait Hippocrates lib. 2. apho. 17. hic morbum facit.

Et si quis denuo obiecerit, vtcunque somnum à cœna differamus, tamen quando fieri non possit, quin ad somnum conuersis, quòd materia tum ad interiora tendat, caput impleatur, huic Galenus quidem respondebit, qui lib. 4. apho. 67. ita scribit. Et quidem sicuti à cibo ad somnum cōuersis impletur caput, sic in plethoricis dispositionibus somni ipsum replentes aggrauant

cere-

cerebrum. Et somni videlicet semper nocerent, quatenus ad profundum & viscera materia confluit, nisi coctionis ratione plus afferrent vtilitatis, quàm sit damnum, quod ex motu ad interiora consequitur. Et hæc ad vulgarem multisque communem errorẽ explodendum sufficiant.

DE DISPOSITIONE ANte cibi sumptionem, edendi item, & ciborum ratione. Cap. VI.

TV nũquam comedas, stomachum ni noueris esse
Purgatum, vacuúmque cibo, quẽ sumpseris antè.
Ex desiderio id poteris cognoscere certo,
Hęc sint signa tibi, Subtilis in ore diæta.

Hic traduntur præcepta quædam ante cibi sumptionem seruanda.

Primum,

Primum, ne sumatur cibus, cùm ventriculus quibusdã humoribus vitiosis adhuc plenus extiterit. Corrumpitur enim simul alimentum, quod insuper ingeritur, vnà cum prauis humoribus, qui prius sunt in corpore, ita vt ipsorum quidem quantitas augeatur, qualitas verò seruetur. Eos igitur, vt li. 6. cap. 9. de Sanita. tuen. Galenus autor est, vomitione, in iis, qui suapte natura facilè vomere possunt, expellere prius, quàm cibus ingeratur, oportet. Impura nanque corpora & vitiosis humoribus referta, vacuatione potius, quàm ea, quæ per cibos fit, refectione egere, testatur cũ primis Hippocrates apho. 8. & 10. lib. 2. & ibidem Gal. in comm.

Ventriculum verò vitiosis humoribus esse plenum, è nidoribus & ructibus deprehendi potest, quemadmodum copiosè admodum Galenus lib. 1. cap. 4. de locis affec. docet, ad quem sanè lectorem nunc ablegamus.

Secundum, ne priore cibo nondum concocto, necdum in aluum demisso, alius sumatur, qui enim eo modo superediitur, naturam à prius ingesti concoctione deturbat, quo fit, vt quicquid eius confectum ex ventre à venis mesaraicis in hepar deducitur, reliqua statim omnia etiam incocta secum in corruptionẽ trahat, adeóque tum vasa ipsa,

tum totum corporis habitum cruditatibus, & vitiosorum humorũ multitudine repleat, ac ob id ipsum morbis non rarò tentet. Proinde rectißimè Galenus lib.7.cap.6.metho. meden.præcipit, vt vacuus purúsque ventriculus secundum cibum excipiat. Quinetiam Auicenna, 3.1.doc.2.ca.7.idem præscribens, ita ferè inquit, Nemo sanitatis suæ studiosus aliquid comedat, nisi ad hoc certo prius inuitante desiderio, & ventriculo vnà cum reliquis superioribus intestinis à præsumpto cibo vacuatis. Priore enim cibo nondum cõcocto, alium insuper ingerere, corpori perniciosum est.

Porrò ex ructu nullam alimenti prioris qualitatem referẽte, ventriculi tumore iam submisso, recrementorum deiectione, & vrinarum coloratione, licebit coniicere, num prior cibus ad vnguem confectus, ac in aluum demissus sit, quemadmodum Gal. lib. 7.cap.6.metho. meden. & post eum Paulus lib.1.cap.97.luculenter & perspicuè docuerũt. Vrina enim quæ aquæ speciem præfert, crudum adhuc in venis succum esse indicat eum qui à ventre submittitur. Quæ rufa & biliosa, iam dudum concoctum esse huiusmodi succum portendit. Quæ modicè pallet, peractæ modò secundæ concoctionis est signum.

gnum. quemadmodum eleganter Cornel. Celsus lib.1.cap.2.& Plinius lib.28.cap.6. docuerunt. Imperfectæ autem concoctionis, vt testis est Sect.6.aphor.comm.1.Galenus acidus ructus certum indicium est.

Signa etiam,quibus certò comprehendi poßit,vtrum à vitiosis illis humoribus, ac prius ingesto cibo vacuus sit venter nec ne, & hîc duo subiunguntur.

Primum, desiderium certum, hoc est, vehementior & vera noui alimenti appetentia siue fames. Nam de medicorum ferè omnium sententia duplex fames est,vna quidẽ vera & naturalis,altera verò mendosa. Veram describit Galenus apho.lib.2.commen. 16.sic inquiens: Famescere illos dicimus, qui ob ciborum inopiam ad extremam esuritionem perueniunt. Fames.

Idem lib.1.cap.7.de caus.Sympto.disertè admodum & copiosè harum appetentiarum rationẽ & diuersitatem describit, quẽ locũ, vtpote scitu dignißimum, hîc integrũ subiicere placuit. Nam quoniam inquit,cute tenus vnumquodq; animal in ambientem aerem digeritur, accidit, vt membra, quæ sub ea sunt, prima vacuentur, quorum ingenita vis ex proximis sibi alimentum trahit, id scilicet, quod vacuatur reficiens, deinde

rursus illa, ex iis, quæ sibi sunt proxima, sicut quæ tertio loco sunt posita, ab iis, quæ sibi. Atque ita semper per continuum, veluti in choro quopiam trāslatione celerrimè facta, ad venas, quæ ad ventriculum pertinent, vacuatio peruenit. Hæ verò & solent pariter, & natæ sunt ex ventriculo nutrimentum trahere, perinde vt stirpium radices, quæ in terrā sunt demissæ, ab ea. Cùm enim hoc opus vniuersum naturale sit, non animale, similiter in stirpibus, & animalibus perficitur. At in stirpibus quidem, terra perpetuò paratum largúmque alimentum rigantis ritu subministrat: quandiu cœlitus temporū status pro natura se habet. Quando si ex terra squaloris excessu siccatus est humor, stirpes nutrimenti penuria marcescunt. Animalibus autem, vtpote terræ non affixis, præter vtique pauca quædam, natura ventrem pro nutrimenti veluti penu fabricauit, quemadmodum stirpibus terrā. Dedit autem animalibus & penuriæ sensum, quo scilicet ad cibum potionemq; prouitata, in tempore expleantur, vocatúrque eiusmodi implendi desiderium appetentia. Fit autem ex penuriæ sensu, cùm scilicet venæ ex ipso ventriculo, veluti emulgentes sugentésque aliquid trahunt. Non ferens au-

tem

tem eum suctum ventriculus, sed veluti diuulsus, offensæ eius medelam cibum comparat. Quippe venæ hoc pacto ad obiectos cibos conuertuntur, atque ex iis nutrimentum trahunt, nequaquam ex ventriculo. Fitque post cibi sumptionem, vt & venæ simul ad cibos se conuertant, & ventriculus ex iis, quantum prius per venas est exhaustum, in seipsum trahat. Ac suctus quidem ipsius sensus fames est. Hæc Gale.

Cùm igitur ventriculus non appetit, signũ est, membra nondum refectione indigere, sed satis adhuc alimẽtorum in promptu habere. Quod certè & ipsum Galenus lib. 3. cap. 13. de facult. natural. innuere voluit, inquiens: Venter si melius paratiúsque nutrimentum habet, externum non postulat. Cibi igitur exhibitio diutius adhuc differenda est, nam quicquid tum ingeritur, grauat naturam, non iuuat.

Porrò mendosa fames, est cibi appetentia corpore non indigente. Quæ quidem, vt idẽ Galenus lib. 1 cap. 7. de causis Sympt. docet, tum maximè fieri solet, cùm acidus quispiã vitiosus succus ventriculum mordet. Vitiosus nanque succus, qui frigidus est, similem suctui morsum infert. Appetẽtiam verò prouitat, naturalis affectus similitudine. Alimẽ- Fames mendosa.

ti autem non potus desiderium excitat propter frigus. At vitioso succo, qui salsus & biliosus sit, ventrem mordente, potio magis, quàm cibus appetitur, prӕterquam enim quòd calefiat, siccetúrque ab eo ventriculus, quӕ vtiq; sitis causa sunt, etiam liquari fundíque tum in eo, tum venis succos contingit. Fundendorum autem succorum Symptoma, ea quibus continentur implet, quemadmodum frigiditas vacuat. Itaque etiam nõ parum ad esuriem, frigiditas eorum, quӕ in vẽtre habentur, confert. Cùm & corpora eorum, tunicásque vacuet, & cogendo cõstringendóque ad appetentiam irritet. Atque ita quidem vitiosus succus acidus, stypticus & frigidus mendosӕ famis existit causa.

Diӕta. *Secundum, verӕ famis signum, est subtilis diӕta, videlicet prӕcedens, hoc est, parua cibi exhibitio, quando enim & hanc fames sequitur, tunc illam & veram & naturalẽ esse significatur. Vnicè igitur semper cauendum, vt nunquam, neque prandeatur, neque cœnetur, nisi cõsueta hora, ac illiciente prius appetitu, nec eo cibum exigente differatur. Omnis enim mora illi nociua est, nisi suspectus sit esse mendosus, qualis ebriorum & fastidio laborantium esse solet. Nam si ventriculus alimẽtum postulat, vt Galenus lib.*

3.cap.13.de facul.natu.autor eſt,nec eius copia eſt,excrementis impletur.Ea ſunt ſanies quædam billioſæ ,pituitoſæq́; , atque ſeroſæ, quas ſolas trahenti illi tum ſcilicet, cùm nutrimento indiget , iecur remittit. Hinc non temerè hactenus hoc vſurpatum eſt.Diutius tolerare famem , ventriculum malis ac putridis replet humoribus,quos attrahit ad ſe loco cibi. Et hoc quidem experientia cōſtat. Quando enim ieiunamus , tunc per noctem auiditate quadā ad cibos inuitari ſolemus, ſed illis denegatis , nullam omnino appetentiam poſtero die percipimus . Vnde ſatis liquet,vētriculum,& maximè orificium eius, iamdudum vitioſis humoribus eſſe plenum, quæ tamen non vera , ſed mendoſa repletio eſt,& ob id pauco aſſumpto cibo regreditur ſtatim appetentia.

Cauendum etiam,ne cibus aſſumatur,nō præeunte corporis exercitio. Neque enim temere ab Hip.6.epid.par.4.aph.28. dictum eſt, πόνοι σιτίων ἡγείσθωσαν, id eſt labores cibos præcedant. Nam qui cibus manè,antequàm prior deſcēderit, vel paulò ante excercitationem ingeritur,is Gal.lib.3.c.1.de cau. Symp.teſte,& intēpeſtiuè ſumitur,& cruditatis etiā cauſa exiſtit.In ciborum præterea Ciborum ratione,quemadmodū cap.24.meth. perue. ratio.

ad medi. Leon. Fuch. diligenter admonet, id quoque vnicè obseruãdum, ne illi præpostero ordine ingerantur, id quod fiet, si concoctu facilia, iis quæ difficulter cõcoquuntur, prætermittantur, etsi liquida solidis & aridis, & lubricantia astringentibus antecedant. Ordo verbi gratia præposterus erit, si cotonea aut punica mala primum ingerantur, postremum olera ex garo. Debent etiam ea præmitti, quæ facilè & nullo fermè labore subsidunt, vt sunt liquida, quæ verò tenacius hærent, & difficulter labuntur, vt solida & arida, postremò, idque si ventriculus naturaliter se habeat. Nam si cui ventriculus sit natura laxior, huic præstiterit adstringentia magis laxantibus præposuisse, quò ab illis roboratus vẽtriculus reliqua melius conficere poßit. Hæc eadem ferè docent Cornelius Celsus lib. I. cap. 2. & Galenus lib. 2. cap. II. de alimento. facultatibus.

Iam verò cautio etiam sit, ne in vna eadémque refectione multi simul & varii assumantur cibi, ac tempus deinde comedendo vltra quàm satis est producatur, præsertim si ex diuersis illi constent facultatibus. Ex eo autem genere cum primis fuerint cibi variæ substantiæ, vt exempli causa ab Auicenna ponuntur, carnes & pisces, vel pulli

&

& suilla, &c. Nam quæ ad istum ingeruntur modum, variè corpus pro succorum diuersitate afficiunt, & concoctionem non, vt par est, sortiuntur. Postremò enim accedente cibo, iam primi incepta concoctio est, atque ita partes quidẽ in coquendo redduntur dissimiles, adeò, vt primo loco ingestæ, confectæ ferè sint prius, quàm ad extremum sumptæ, medium concoctionis suæ attingant, vnde sæpenumero posterius coquendorum sequitur corruptio. Id quidem Auicenna quoque innuere voluit. 3.1. doc. 2. cap. 7. in hanc fermè sententiam scribens: Nihil quidem deterius est, quàm si multa simul ac varia ciborum genera coniungantur, atque iusto longius deinde in comedendo tempus protrahatur: cùm enim postremum accedit nutrimentum, primum iam aliquo modo confectum est, partes ergo in coquendo non adsimilantur. Atque inde sanè morborum scaturigo, qui ex repugnantium sibi humorum discordia nascuntur.

Iam ipsius quoque varius coquendi modus bonæ corporis tẽperaturæ non parũ officit, vt si in eadẽ refectione multi elixi, frixi, & aßi cibi sæpius in vicem modò liquidi, modò solidi & aridi, ministrentur. Atque hinc est, quod Horatius lib. 2. Serm. Sat. 2. Cibi varii.

vbi

vbi victum frugalem ac simplicē pro dignitate laudasset, hanc saporum condimentorúmque aceruationem, vt perniciosam, his versibus detestatus sit:

Accipe nunc victus tenuis quæ, quantáque secum
Adferat, in primis valeas bene. nā variæ res
Vt noceāt homini, credas memor illius escæ.
Quæ simplex olim sederit, at simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdi
Dulcia se in bilem vertent, stomachóque tumultum
Lenta feret pituita, vides vt pallidus omnis
Cœna desurgat dubia? quin corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque prægrauat vnà,
Atq; affigit humo diuinæ particulam auræ.

Pari modo & Plin. lib. II. cap. 52. hāc saporū aceruationē dānauit. Homini, inquiēs, cibus vtilissimus simplex. Aceruatio saporū pestifera, & condimenta perniciosiora.

Gulosi valentes. Atqui hîc nobis fortasse obtrudet quispiā plerosque ventri & gulæ mirificè deditos, qui sese à primo statim diluculo ad summā vsque noctem multo varióque cibo & potu non impleāt solùm, sed etiam distendant, adeóque cibum cibo excipiant, & toti sint in compotationibus, cùm nihil tamen inde mali

mali percipiant, imò verò multis incommodis difficultatibúsque afficiantur, si vel minimũ ab ista consuetudine deflexerint. Huic Gal. quidem respondebit, qui in lib. de cibis boni & mali succi, cap. 21. ita scriptum reliquit. Hæc enim quãuis protinus nullam iuuenum corporibus sensibilem læsionem inferant, sensim tamẽ occultèque crescente vitio cùm iam ætas progressu temporis inclinârit, articulos, neruósq;, & viscera iis morbis vexant, qui vel difficulter admodũ, vel omnino tolli non possunt, neque id quidẽ temerè, nanq; ea pars corporis, quæ natura imbecillißima est, à lædẽte quolibet patitur. Quòd autem vitiosi humores, morbíque gignãtur, cruditas aßidua in causa maximè est, siue ea ex boni, siue ex mali succi oriatur cibis. Quin Auic. quoque 3.1. doc. 2. cap. 7. idẽ confirmans sic fermè inquit. Ille cui mala nutrimenta concoquuntur, non gaudeat ex hoc. Noxa enim etsi ad tẽpus fortasse delitescit, temporis tamen successu sese exerit, & grauißimam certißimámq; neglectæ artis medicæ pœnam adfert. Atque hinc adeò pauci eorum, qui istum viuendi modũ sectãtur, destinatam senectutis metã contingũt, sed crudis ex intemperantia accruatis succis, podagra, calculo, lepra, carcinomate, febribus,

aliisque

aliísque id genus malis prius torti, vitam cũ morte commutant. Præstat igitur, vt disertè à Fuchsio nostro scribitur, temperantia & parcitate animũ corpúsq; vegetum ac sanũ seruare, quam crapula, crebrísque cõpotationibus, & immoderatione infirmum, morbosum, Deóq; & hominibus odiosum reddere.

Edendum quã diu. Ac ne illud quidem silentio prætereundũ hoc loco, quòd protracta ad vnam ferè horam mora, ac iusta commanducationis & deglutitionis gratia comestioni interposita, nõ laudabilis modò, sed ad tuendã etiam valetudinem vtilissima censeatur. Cibus enim qui exactè dentibus manditur, extenuatur & mollitur, ac sensim deinde atque tardè deglutitur, etsi imperfectam ac modicam omnino, aliquã tamen, vt in suo genere æstimandam alterationem in ore consequitur, quemadmodum lib.3.cap.7. de natu. facult. Galeno & Auic. f.1. doc.4.cap.2. visum est.

Cæterùm imperfecta commanducatio vt concoctioni contumax est, ita etiam horrorem quendam & insuauitatem adferens ciborum appetentiam auertit. Mora verò quæ inter edendum, multis vltrò citróque sermonibus collocutionibúsq; interpositis, ad duas vel tres horas protrahitur, admodum noxia est, eámque nocumenta hactenus enumerata

ta sequuntur. Vltimus versus in quibusdam Exemplaribus hoc etiã modo legitur.

Hæc sint signa tibi, subtilis in ore saliua.

Nec malè quidem. Nam saliua quæ subtilis & nulla qualitate infecta, sed perinde quasi aquosa gustui offertur, tum coctionis, tum absolutæ sanitatis etiam indicia ostendit, Galeno lib.3.ca.6.de locis affectis teste.

DE CIBIS VITANDIS. Caput VII.

PErsica, poma, pyra, & lac, caseus, & caro salsa,
Et caro ceruina, & leporina, bouina, caprina.
Atra hæc bile nocent, súntque infirmis inimica.

Hîc recensentur decem ciborum genera, quæ sanguinem serosum & melancholicum efficiunt, eáque infirmis nocent.

Primum, persica, de quibus lib.2. cap.19. de aliment. facult. disertè ita Galenus scribit. Ipsorũ succus, & veluti caro facilè corrumpitur, prauáque omnino est. Quocirca (quod quidam facere solent) non sunt post

alios

alios cibos mandenda: corrumpuntur enim in superficie natantia, sed in omnibus, quæ praui quidē sunt succi, verùm humida sūnt ac lubrica, & quæ subduci facilè queant, id communiter tenendum, ea ob hoc ipsum ante alios cibos esse sumenda. Ita enim fiet, vt & citius subducantur, & aliis cibis viam muniant. Quæ si sumpta postrema fuerint, vnà secum alia quoque corrumpent. Atque inde sanè patet, hoc dictum de iis intelligendum persicis, quæ matura post alios cibos vltima eduntur. Præsumpta enim stomacho conferunt, ventrem leniunt, & ciborum appetentiam præstant. Dioscorides etiā lib. I. idem testatur, in eum modum scribens: Persica matura tam stomacho, quàm ventri vtilia sunt. Acerba aluum cohibēt, sed sicca vehementius. Decoctum è siccis alui stomachique fluxiones sistit. Simeon quoque Sethi de persicis hæc refert. Persica, inquit, quidā in tertio ordine refrigerantium humectantiúmque posuerūt, alii in primo, alii verò in secundo, quod etiam certius est, phlegma generant, non facilè concoquuntur, celeriter in ventriculo corrumpuntur, propterea qui crebrius ad satietatem his vtūtur in febres incidunt, lædūt & neruos proprietate quadam. Oportet verò hæc ante cætera ciba-

Persica prima mensa edenda.

ria assumere, & super his meracum bibere. Quæ ex his matura sunt, ventrem ducunt, immatura contra sistunt, eóque efficacius sicca. Foliorum succus in potu sumptus, lumbricos ventris perimit, idem perficit si cum foliis vmbilico apponatur. Suscitant quoque ciborum appetentiam persica, prosunt & inflãmato ventriculo, & genitali semini adiiciunt, serosum tamen sanguinem parãt, sæpiúsque post vnum vel alterum mẽsem ob putredinem febres tum lõgiores, tum etiam difficulter solubiles gignunt.

Illud etiam obseruare oportet, ne super hæc aqua bibatur. His amplius addit Plinius Valerianus, persicorum foliis siccis, & in puluerem redactis, plagas cruentorum vulnerum claudi, quam facultatem Serapion ipsis etiam persicis siccis attribuit. Quanquam autem persica iam dictis viribus prædita sunt, quia tamen humor inde genitus facilè corrumpitur & putrescit, noxia sunt infirmis, & maximè si præpostero ordine ac intempestiuè sumantur. Infrà cap. 42.

Secundum, poma, siue mala: In quibus, autore Simeone Sethi, multa differentia est: quæcunque enim astringunt, frigidum habent, & terreum succum. Quæ acria Poma.

sunt,

ſunt, frigidum quidem verum tenuem illum habent. Medii autem temperamenti ſunt dulcia, quæ ad caliditatem magis vergunt. Omnia certè quadam peculiari proprietate neruis nocent, nocent & quæ matura nō ſunt. Dicuntur & lapidem ſeu calculum gignere iis, qui ad ſatietatem iis vtuntur, verùm vtilia ſunt ad λειποθυμίας, id eſt, animi deliquia, & cordis debilitatem. Spiritum quoque flatulentum in ſecunda concoctione generant, eóque infirmis nocent, ſicuti de pyris mox dicetur, & hoc de crudis maximè intelligendum eſt.

Neque verò ab his ſolùm fructibus ægrotos abſtinere conuenit, ſed ab omnibus etiã, quæ ſanguinem ſeroſo ac ebulliente ſucco replent. Eiuſmodi planè ſunt recentes, & qui ante perfectam maturitatem eduntur: cùm enim humidius alimentum, ob ídque excrementoſius præbeant, nō ſecus in corpore humano feruent, & ebulliunt, atque vinum, quod nuper ex fructibus vel vuis expreſſum eſt, in doliis, & hoc quidem ob caliditatem ipſis à ſole, cùm matureſcerent, ingenitam, quemadmodum lib. 4. ca. 3. de vſu part. Galenus atteſtatur.

Et hoc certè, Auicen. 3. 1. doc. 2. cap. 7. teſte, commune eſt omnibus cibariis, quæ ſangui-

nem

nem seroso succo implẽt. Porrò etsi verò hoc interim spacio, quo manduntur, humectent, ob succi tamen ebullitionem prompte in ventriculo corrumpuntur, & sanguini putrido gignendo accõmodatißimi sunt, qua de causa non temerè Auicen. 1. 4. Tract. 2. cap. 7. fructus recentes omnes febricitantibus interdixit. Plura Galenus lib. 2. cap. 21. de alimento facult. & infrà cap. 39.

Tertium, pyra, quæ sanè, perinde vt & alii fructus recentes ac crudi, communiter hoc poßident, vt seroso ebullientéque succo sanguinem expleant, eúmque putrefactioni obnoxium reddant, quò fit, vt eorum cibus, Plin. lib. 23, cap. 7. teste, non ægrotis solùm, sed valentibus etiam onerosus sit. Inflationes quoque excitant, & ob id crebrius esitata colicos affectus suscitant. Sed innoxia fiunt, si vnà cum carminatiuis vulgò dictis, hoc est, calfacientibus, tenuantibus & flatum expellentibus comedantur, vel super his vinum vetus & odoratum bibatur. Quod Galenus lib. 1. cap. 26. de aliment. facult. palàm etiam ita scribens confirmat: Quicquid omnibus cibariis inest flatulentum, id per calfacientia & tenuantia corrigitur. Pyris præterea ea facultas inest, vt inter cæteros fructus quàm maximè impinguent, quare Pyra.

sues ipsorum esu magis, quàm quorundam aliorum fructuum pinguescunt. Laudatiora sunt odorata & dulcia, & ex ipsis cocta, quàm cruda, meliora. Coquenda verò cum fœniculo, aniso, & sacchato. Infrà capite 13. & 39.

Lactis vsus. *Quartum, lac, hoc enim facilè corrumpitur, inque nidorem aciditatémue in impuro ventriculo transit. Quapropter putrida febre correptis exhibendum non est, quia plurimo calori cōuersatum, in nidorem statim abit. Huc accedit quòd in ventriculo febricitantium haud concoquatur, sed potius corrumpitur, adeóque febres auget. Caput quoque dolētibus malum est, quod confirmat Galenus, qui lib. 3. de alimen. facult. cap 14. Lac capiti, nisi quis ipsum habeat admodū firmum, non esse accommodum, tradit. Cuius quidem rei causa alia nō est, quàm quòd lac sit nidorosum, ac facilè euaporet, capútque petat, adeóque dolorem augeat. Nocet praeterea sitibundis & aliis nōnullis, de quibus Hippocrates apho. 64. lib. 5. & ibidem Galenus. In phthisi tamē, hectica, & aliis quibusdam passionibus, vt Hippo. loco iam citato autor est, vtilissimè conceditur. Qua de re copiosius infrà capite trigesimo quarto.*

Quanquā autem lac infirmis ex vsu non

ſit, in ſanis tamẽ ad bonos humores gignendos, ex iis præſertim animalibus, quæ bono corporis habitu ſunt, probatiſsimum habetur, & hoc quidẽ ſi in ventriculo & hepate perfectè concoquatur. Tunc enim mordaces ſuccos, quoſcũq; inuenerit, expurgat, qua de cauſa in vrinæ difficultate & acri egeſtione alui, nõ ſolùm bibere conducit, ſed etiam infernè per clyſterem infundere. Ad acres enim & mordaces fluxiones cõmodiſsimum eſt, non ſolùm abluens ipſas de partibus infeſtatis, atque hoc per exterſoriam humiditatem, quã in ſeroſa ſui parte complectitur, ſed etiam craſsitie ac pinguedine ſua corporibus oblitum ac inductum, non ſinit influxum acrem nudis ipſis allabi. Ad pulmonis itaque ac inteſtinorum vlcera, item renum, veſicæ ac vteri, & ad papularũ eruptiones, & furunculos, & alias cutis aſperitudines conuenientiſsimũ eſt in potu, adeóq; cutem ipſam pulchrã ac nitidam reddit. Ad hæc lãcinamenta ex veneni potione, & quæ in vrinæ meatu fiunt, compeſcit.

Item ad eos qui cantharidas hauſerunt, aut bupreſtin, & in ſumma ad medicamenta erodentia ac exulcerantia, & ad hyoſciamum velut peculiare remedium eſt. Nam ſtatim reſipiſcere affectos facit. Cæterùm

in gutturis exulcerationibus, quæ cùm ob alias multas causas, tum ex anginis fiunt, & his qui ephemerum sumpserunt, lac gargarissare conducit.

Corporibus præterea temperatis, quorum ventriculis nihil biliosi & phlegmatici humoris insidet, vtilißimũ habetur. His enim bene concoctum multum nutrimenti summittit, probum succum generat, bonam carnem longè meliorem reddit, & corpus conuenienter humectat.

Hoc tamen in primis cauere debet, qui lac bibere voluerit, vt interim à reliquis cibis ac potibus abstineat, donec concoctum sit ac secesserit. Si enim ante eius concoctionem, alium cibum quis sumat, necesse est & ipsum lac corrumpi, & cibum qui superingestus est. Præstat autem manè bibere recẽs mulctum, & tunc plures labores detrahere, quietè ac sensim ambulare, & interim cessare citra somni admißionẽ. Qui enim hoc modo se gesserit, potum lac excernet, ídque inutilia secum educet. Opus est enim si quid aliud, primum acceptum secedere, quo facto aliud bibere. Principio igitur secedit aluo commodè purgans, non totam corporis molem, sed quæ in aluo & intestinis sunt, partibúsque vicinis. Post hæc iam in venas defertur,

defertur, optiméque nutrit, & non amplius secedit, sed ventrem sistit.

Corporibus verò distemperatis infestum inimicúmque est. In calidioribus enim cito in nidorẽ atque bilem, in frigidioribus vero in aciditatem & putredinem commutatur.

Circa electionem denique lactis sciendũ, pro ipsorum animaliũ specie haud paruam esse differentiam. Boum nanque lac crassissimum ac pinguissimum, & concoctu difficile est, & ob id in ventriculo in flatus vertitur, venarúmque obstructionem parit. Liquidissimum autem ac minimè pingue, est camelorum, mox equarum, deinde asinarũ, mediæ autem consistentiæ, est caprarum, hoc crassius ouiũ. Lac igitur caprarũ, cùm inter cætera lactis genera moderatè se habeat, neque pingue admodũ, neq; crassum sit, meritò in victus salubris ratione præfertur. Quin & caprarum inter se inuicémque collatarum, & secundum anni tempora non parua differentia est. Earum enim quæ modò pepererunt, lac liquidissimum est, sed temporis progressu, magis semper ac magis incrassescit. Aestate verò media, ipsum etiã in medio suæ naturæ consistit, post id tempus sensim iam crassescit, quoad penitus deficiat. Vere autem vt liquidissimum, ita etiam co-

Lactis varia genera.

pioſiſsimum eſt. Quo fit, vt eligendum ſit lac caprarum, non quidem prægnantium, ſed enixarum, quæ tamen, quod ad partum ipſum attinet, mediocriter ſe habeant, hoc eſt, quæ neque nuper enixæ ſint, neque multum à partu receſſerint, hoc interim non neglecto, vt ipſis etiam alimẽta propria affatim ſuppetant.

Ac ne illud quidem ſilentio prætereundum hoc loco, quòd lac caprinum ſine melle ſumptum, haud citra periculum ſit. Pleriſq; enim qui purum illud hauſerunt, coactum eſt in ventriculo in ſpeciem caſei, quod quidem quum accidit, mirum eſt quàm aggrauet hominem ac ſtrangulet. Ob eam cauſam, lac vbi ſumunt nonnulli, ne in ventriculo coaguletur, mellis, aquæ & ſalis nonnihil admiſcent. Atque hæc quidem hoc loco de lacte ſufficiant. Plura Galenus lib. 3. cap. 14. de alimen. fac. & lib. 10. ca. 7. de med. ſimpl. facult. & in lib. de cibis bon. & ma. ſucci. cap. 6. Paulus lib. 1. cap. 86. & 87. & Aetius lib. 2. cap. 92. & 93.

Caſeus. *Quintum, caſeus, quod quidem; cùm de omni caſeorum genere, tum de inueterato cum primis intelligendum eſt. Hîc enim ob coaguli & ſalis, dum pararetur iniectionẽ, temporis progreſſu acrimoniam aſſumpſit,*

humiditatémque omnem deposuit, quare se ipso etiam acrior, & manifestè calidior, atque ardentior euasit, & ob id ipsum peioris quoque & craßioris succi, & ægrius concoctilis effectus est, præsumptorum quidem concoctionem adiuuat certè, sed ipse difficilius concoquitur. Atque hinc adeò iam vulgò dici solet:

Caseus est nequam, quia concoquit omnia, se quàm.

Nutrimentũ habet exile, stomacho nocet, & vbi forte fortuna in corpore supercalefactus fuerit, quemadmodum disertè Galenus libro tertio cap. 6. de locis affect. scribit, facilè melancholicum humorem parit. Recente flatuosus quidem minus est, sed ventrem magis sistit, magísque siticulosus est, nec ad calculorum in renibus procreationem minus existit noxius. Deterrimum præterea edulium est iis, quemadmodum hoc ipsum Hippocrates lib. 4. de vict. rat. in morb. acu. apho. 92. clarißimè ostendit, qui se potu repleuerunt. Grauat si quidem os ventris, primúmque corrumpitur, & alia deinceps secum corrumpit. Fugiendus igitur est eiusmodi, vt qui nihil conferat, neque ad coctionẽ, neque ad distributionẽ, neque ad mouendã vrinã, neque ad vẽtris deiectionẽ,

ceu vtique nec ad ſucci probitatem.

Porrò recens ac mollis caſeus, frigidi humidíque temperamenti eſt, & duro ſiccóque flatuoſior exiſtit, ſed eo minus aſtringit, minúſque craßi ſucci eſt, nihilo minus tamen ægrè conficitur, obſtruítq; & calculos gignit.

At verò qui inter vtrunque, recentem nimirùm & inueteratum, glutinoſum & friabilem, durum ac mollem, rarum laxúmve & valde denſum coactúmve medius exiſtit, quíque dulcedine nonnulla participat, modicéque ſalſus eſt, neque lachrymas, cùm inciditur profundit, neque tardius aluo ſecedit, ſed odore & ſapore iucundus, moderatéque pinguis eſt, atque ex bono lacte pulcherrimè elaboratus, is vtique reliquis omnibus lōgè multúmque præſtat. Verùm poſt alios cibos vltimo loco, & exigua planè copia ingerendus eſt, alioquin & ipſe, nihilo ſecius ac reliqui caſei, ventriculum grauat, coctionem impedit, aluum cohibet, craſſos humores, atque flatus in corpore, lapidemque in renibus parit. Solus igitur

Caſeus ille bonus, quē dat auara manus.

Plura de hoc apud Galenum libro tertio, capite decimo ſexto, de alimen. facult. & libro 10. capite 9. de ſimp. med. facul. & in libro de cibis boni & mali ſucci, cap. Paulum

lib.

lib.1.cap.89.& Aëtium lib.2.cap.101.

Sextum, caro salsa. Caro enim sale condita, atque sole deinde aut vento, siue fumo exarefacta, cuiuscunque ea generis, vel animalis fuerit, substantia cùm duriore, tum ad coquendum etiam difficiliore constat, & tardius permeat. Alimẽtum quoque corpori præbet exiguum & mali succi, ideóque sanguis inde generatus crassius existit, atque melancholicus, ac proinde, si frequens eius vsus fuerit, non solùm infirmis, verumetiam sanis officit, quemadmodum id ipsum ex Galeni lib.3.cap.6.de locis affect.& cõmen.18. lib. 2. aphor. & post eum ex Auicenna 2.1. doc.2.in fine cap.15 apertè colligitur. Caro salsa.

Septimum, caro ceruina, cui & ipsi sanè cum omnibus duris & siccioribus carnibus hoc commune est, vt succum vitiosum, concoctu difficilem, ac melãcholicum generet. Id quod Gal.in lib.de rerum affect. digno. & medicat.cap.26.clarißimè ostendit. Ceruinam, inquit, carnem vitabis, quippe quæ dura sit, concoctu difficilis, & melancholica. De ea hoc amplius Simeon Sethi scribit: Vnicè cauendum, ne quis carne vescatur ceruorum, qui per æstatem capiuntur, quod eo nimirum tempore viperas sæpe & serpentes deuorent, atque ideo sitibundi ad- Ceruina.

modum

modum fiant: Attamen, cùm naturæ instinctu edocti nouerint, sibi futurum exitio, si ante illorum concoctionem aquam hauserint, fortiter sitim tolerant, eáque incenduntur. Ceruorum igitur carnes eo anni tẽpore venenosæ ac valde noxiæ sunt, & idcirco obseruandum, ne quis eis per æstatem vescatur. At verò hyeme tutius sumuntur, meliúsque ab innato calore superantur. Nisi enim probè concoquantur, crassum humorem generant, iecúrque & splenem obsepiunt obstruúntque. Quinetiam corpus tremulum atque infirmum euadere ex freq̃ueti & immoderato eius vsu traditur.

Leporina.

Octauum, caro leporina. Hanc Paulus, Psellus, & Rhazes inter cibaria atram bilẽ gignentia connumerarũt. Simeon Sethi, quasi colligens, quæcunque à veteribus dicta erant, in hunc modum de ea scribit: Leporum carnes, his qui exiccare corpus volũt, sunt valde vtiles. Qui verò tẽperatura sunt sicciore, minus conferunt, sanguinem enim crassarũ partium & melancholicũ gignunt, aluum cohibẽt, & vrinam proritant. Quod si tamen probè concoctæ fuerint, non omnino malè nutriunt. Contrà verò, obstructionem hepati ac spleni efficiunt, pulmonique nocent, & immodicis torquent vigiliis.

Isacus

Isacus in diætis vniuersalibus, leporinam pro pharmaco potius quàm alimẽto habendam censet. At ne hoc quidem ignorãdum, quòd tum hæc caro, tum ceruina quoque, si fuerint animalium ætate declinantium, simpliciter sint euitandæ. Si quis tamen comedere omnino expetat, ei sanè partui propinquiores sunt eligendæ, quo nimirum naturalis earum siccitas ab ætate temperetur. Eadem ratione & pinguiores longè cæteris antecellunt. Siccitas nanque pinguedine correcta ad mediocritatem in eiusmodi animalibus inflectitur. Verùm de hac ipsa Ioanne Manardo, lib. 13. epistola 4. diligentius nemo disseruit.

Nonum, caro bouina, circa quam notandum in primis, & fœminam ipsam, quæ vacca dicitur, & vtrunqe marem, tã eum, qui castratus est, quàm eum etiam, qui integer ad speciei propagationem reseruatus, taurus nominatur, communi hac boum appellatione significari. Atque hi sanè non parum inter se ætatis ratione differunt. Extremæ nanque ætates, vt in aliis non paucis, ita in his quoque vitiosæ sunt. Mediæ verò optimæ & saluberrimæ. Vitulorũ igitur recens editorũ caro nimis mucosa & excrementitia est. Bimestres autem, quique paulò Bouina.

vltra citráue eam ætatem consistunt, temperamento viciniores sunt, & carnes habent ad concoquendum perfectis bobus præstantiores, & multum alimenti corporibus exhibent, boníque succi habentur. Prouectiores verò, qui tamen florentem ætatem nondum attigerunt, temperamento sunt quàm senes minus sicco, magisque iis iuuenibus conueniunt, qui bono sunt corporis habitu. His perfectæ ætatis boues valentius quidem alunt, sed ægrius tum concoquuntur, tum in membra distrahũtur. Porrò ad senium vergentium atque ipsorum etiam senum carnes duræ, siccæ, neruosæ, concoctioníque rebelles sunt, & melancholicum humorem efficiunt, solisque ventriculos habentibus calidiores, atque illis insuper, qui vehementer sese atque immoderatius exercent, cõcedi possunt. Quod lib. 4. de vict. ratio. in morb. acut. aphor. 99. Hippocrates etiam ita scribens attestatur. Bubulæ carnes melancholica proritant παθήματα. Nempe harum natura insuperabilis est, nec quiuis ventriculus eas concoquere potest. Galenus quoque lib. 3. ca. 1. de aliment facul. idem ferè confirmat verbis. Carnes bubulæ alimentum quidem & ipsæ corpori suggerunt non mediocre, neque dißipatu facile, sanguinem tamen generãt,

quàm

quàm cõueniat, craßiorem. Quòd si quis tẽperamento naturali melancholicus magis fuerit, affectu aliquo melancholico prehendetur, si largius his vescatur. Affectus autẽ melancholici sunt, cancer, elephas, scabies, lepra, febris quartana, & quæ peculiari nomine Melancholia nominatur. Lien item quibusdam à tali succo intumescit, quã rem καχεξία, id est, prauus habitus & hydropes sæpenumero consequuntur.

Cæterùm qua ratione incommodis, quæ frequentiorem earum esum excipere solent, prouidendum sit, luculenter & perspicuè Simeon Sethi in hunc modum scribẽs edocuit. Si quis eas edere velit, summáque cupiditate appetat, vel cogatur etiam, is medeatur nocumento, quod inde futurum speratur, aceto & alliis cum ruta intingens. Idem quoque autor est, earundem iure siue brodio, ζωμῷ Græcis appellato, fluxus ventris ex flaua bile cohibere.

Vaccinæ, cùm præter succi prauitatem etiam sexus ratione frigidiores sint, meritò à sanitatis tutela eximuntur. Non tamen ab eis, quemadmodum nec ab aliis, quæ hactenus dicta sunt, ex toto abstinendum est, sed omnibus interdum, optimis verò, quantum fieri potest, sæpius vtendum. Vaccinæ.

Decimum,

Caprina. Decimum, caro Caprina, de qua idem fermè, quod de bouina dicendum. Hædi enim perinde ac vituli, carnes ad conficiendum perfectis capris meliores, & tuēdæ valetudini accommodatiores habent. Moderatè nutriunt, sanguinémque tenuem & humidum gignunt. Præstantiores & probioris succi sunt lactentes adhuc, & maximè si neque tenelli admodū, neque natu grādiores fuerint. Simeō Sethi rufos & glaucos, Rhazes verò rubros in nigrum inclinantes, ac pingues præfert. Baldacho fœmellæ quàm masculi carnem temperatiorē, & à siccitate remotiorem esse, placet. Mirificè calidis & siccis temperaturis, atque insuper delicatis & ociosæ vitæ deditis, conferunt. Hirci carnem quidem habent minimum humidam, pituitosam, ac lentam, ob fœtorem tamen ingratam, & stomacho inimicam, ægrè concoquitur, & ad succum bonum generandū parum idonea est.

Arietina. Hanc sequitur arietum, pòst, taurorum. Porrò in iis omnibus carnes castratorū sunt præstantiores: senum autem pessimæ. Caprina in tota valetudinis cura obseruationéq; vitanda est. Nā Hippocrate lib. 4. de vict. rat. acutorum, aphor. 101. teste, habet, mala, quæ in bubulis sunt, omnia, & cruditatem, estq́;

éstque flatuosior, & ructus magis generat, acris est, malúmque succum efficit. Ineunte tamen æstate, & circa eius medium capræ melius agunt, longéq; seipsis in cibo præstãtiores euadũt: tunc enim arborum & fruticũ surculi & germina, quæ iis maximè idoneam præbent alimoniam, frequentissima sunt. Ac proinde habitiores etiam, ac pingues, nobísque alendis accõmodatiores fiũt.

Quòd autem alimonia ad carnis bonitatem plurimum possit, argumento sunt euidentissimo vulpes, quæ autumno probatissimam ob vuas habent carnem. Sic passer & ficedula per idem tempus maximè laudabilem carnem obtinent De caprina plura Galenus lib.3.cap.1.de alimen. facul. & de attenuante diæta cap.6. & comm. 101.102. in lib.4. Hippoc. de vict. ratio. in mor. acut. & Paulus lib.1. cap.84. & Aëtius lib. 2.cap. 119. Atque hactenus quidem de cibis & carnibus vitandis.

Exigit nunc ordo, vt de electione alimẽti, quod partim à iam dictis, partim verò ab aliis quibusdam animalibus sumitur, nõnihil etiã dicatur. Siquidem de eo haud parua inter ipsos artis medicæ scriptores controuersia est. Galenus enim vt & alii nonnulli, porcinæ palmã detulit: Rhazes verò,

Auicenna

Auicenna & Auerrohes hædinam prætulerunt. Sunt etiam quibus vitulina præstantior videatur. Porrò electio hæc & præstãtia multipliciter attendi potest. Et primò quidem ratione tum similitudinis, quã cum humanis obtinent carnibus, tũ maioris quoque & discussu difficilioris alimenti. Quo sanè modo.

Porcina. Porcina, cæteris omnibus longè antecellit. Maxima enim illi cum humano corpore similitudo est, quemadmodum Galenus lib. 3. de aliment. facul. cap. 1. disertè iis verbis ostendit. Suillæ carnis similitudinem cum humana ex eo poteris intelligere, quod quidam carnes humanas pro suillis sine vlla in gustu vel olfactu suspicione comederunt, id enim ab improbis hospitibus, & aliis quibusdam factum fuisse iam compertum est. Idem lib. 10. de simpl. medica. facul. cap. 2. Sanguis, inquit, suillus humano maximè tẽperie similis est. Siquidẽ & carnes suum humanis sunt similes. Comperti enim sunt hospites & coqui complures, qui humanas carnes pro suillis venderent: tametsi qui eas edissent, nullum omnino discrimen percipere potuerint. Quin & ipse narrantes audiui viros fide dignos, sese in diuersorio publico ius esitasse delicatum cum carnibus suauissimis,

cæterùm

cæterùm cùm iam penè saturi essent, inuenisse digiti partem anteriorem, quæ videlicet ad vnguem est, quo perculsi ac metuẽtes eos, qui agebant in diuersorio, ne scilicet se quoque vorarent, ceu ei rei assueti, protinus quidem illinc exiere, ac vomitu redditis quæ ederãt, ita iter denuo ingressi sunt. Sed & in ipso facinore homines mactantes deprehensos, non ita multò pòst referebant. Itaque iure quispiam existimet suillam carnem humanæ esse simillimam.

Quòd deinde suillam carnem validissimè nutrire diximus, hoc Galenus lib.3.ca. 1.de aliment.facult. in eum modum scribẽs confirmat. Omnium ciborum, suum caro potentissimè nutrit. Cuius rei athletæ certissimum tibi præbent indicium. Si enim paribus exercitationibus parem molem alterius cibi pridie totum diem comederint, postero die statim sentient sese redditos imbecilliores. Quòd si pluribus deinceps diebus id fecerint, non imbecilliores modò, verumetiam alimenti penuria macilentiores palàm conspiciuntur. Idem lib.7.method. medendi, cap.6. iis etiam testatur verbis: Omnium, quos nouimus ciborum, maximè nutriens suilla caro est. Quin & ipse Hippocrates lib. 6. epidem. part.3. Aphoris.4.

Suilla nutrit.

quum iam corpus ex multis exerciciis conciderit, ſuillas carnes aſſatas exhibere præcipit.

Porrò alimentum, quod inde ſumitur, firmum eſſe, neque diſsipatu facile, ſatis cõfirmat Galenus in libro de attenuan. vict. ratione, capite 6. vbi ſic ſcriptum reliquit: Suum domeſticorum caro, omnium aliorum ciborum firmiſsimè nutrit. Multum enim in ſeipſa habet lentorem, tum propter vitam deſidioſam, tum propter cibi humidioris affluentiam. Et ſimiliter in libro de renum affect. dignot. & medic. cap. 26. E pedeſtribus optimi ſucci eſt caro ſuilla, & hominib. maximoperè familiaris, maximéque tum nutribilis, tum corroborans, ſed glutinoſum quiddam habet & craſſum, ob id qui diutius ea victitant, iecoris & renũ obſtructione corripiũtur, quibus hæc à natura aſtrictos meatus habent, eóque lõgiori ab ea interuallo abſtinendum.

Quia verò glutinoſum, vt dictum eſt, & craſſum ſuccum generat, ideo Hippocrates aſſatam exhibere iuſsit, quò nimirùm viſcoſitate ac craſsitie ab ignis caliditate nonnihil conſumpta, minus humida ac glutinoſa edatur. Idem lib. 4. de vict. rat. in morb. acu. ablro... eiuſmodi carnem abſque pel-

le, hoc est, cute mandendam esse docuit. Cutis enim animalis, vtpote frigidior, carni similiter concoqui nata non est. Quæ autem ob assationem ambusta est, tum ad succi bonitatem, tum ad concoctionem inhabilis existit, cholerámque parit propter eã, quæ huic accidit acrimoniam. Ibidem pinguissimam quoque suum carnem ea, quam medii & bene carnosi habent, deteriorem existimat, suspicionem humiditatis habens, ob quam pinguedo omnis carne sui generis deterior tum ad cõcoctionem, tum nutritionem existit.

De Suilla hoc amplius Galenus in lib. de cibis bo. & mali succi cap. 4. Suilla caro, si exactè in ventriculo concoquatur, tũ in sanguinem à iecinore conuertatur, probatissimos humores gignit. Quod intelligendũ vtique, non de carne suum vetustissimorum, ea enim ob siccitatem & duriciem ægrè concoquitur, ac succum viciosum generat, neque porculorum lactẽtium. Nempe hi terrestrium ferè omnium, quæ vorant homines animalium, maximè humidam & excrementitiam obtinent carnem. Atque ob eam rẽ plurima inde generatur pituita. Sed ætate mediocrium, anniculorum videlicet, vel bimorũ. Idem Galenus etiã libro paulò

antè citato cap.12.atteſtatur. Ex animantibus, inquiens, quorum natura ad bonos humores gignendos aptiſſima eſt, ſues mediocris ætatis habentur. qui enim ad ſummum creuerint, hominibus vigentis ætatis, ſéque exercentibus, qui verò adhuc increſcunt, iis quorum ætas inclinat, idonei ſunt. Caro ex porcellis paruulis excrementis ſcatet.

Quare ex pedeſtribus animantibus ſuilla caro probatiſſimus cibus eſt. Et hoc quidem tametſi in vtroque genere, tam domeſticorum, quàm agreſtiū verè dicatur, agreſtes tamen à Galeno longè cæteris anteferuntur. Atque hinc adeò in libro de attenuan. vict ratio. cap.6. ſic inquit: Apri ſuibus domeſticis in cibo ſunt anteponendi. Et lib.8. method. medend. capite 2. Ex ipſis ſuillis carnibus optima eſt montana Cuius cauſam Galenus lib.3. de aliment. faculta. cap.13. hanc eſſe tradit. Domeſtici, inquit, ſues temperie humidiores ſunt, quàm agreſtes, tum ob aeris, in quo degunt, humiditatem, tum vero etiam ob vitæ ignauiā. Qui verò in montibus degunt, multum exercētur, ac fatigantur: præterea in aere ſicciore viuunt, quapropter eorum caro eſt durior, nul[..]ſque prorſus pinguedinis, aut pauciſ-

ſimæ

C

ſimæ particeps, & alimentum, quod inde prouenit, minus habet excrementi: contra excrementitium eſt, quod à domeſticis ſumitur. Neceſſe igitur eſt, alimentum eiuſmodi nutrire valentius, quàm alterum, ſuccúmque gignere multò meliorem. Addit præterea Auicenna libro ſecundo cano. capite centeſimo quadrageſimo ſexto, eoſdem hyeme meliorem ſanguinis habitum conſequi, longéque ſeipſis in cibo euadere præſtantiores.

Ex omnibus hactenus adductis, ſatis iã liquet, hominibus ætate florentibus, fortibus, ſanis, & quamlibet fortem ac vehementem actionem obeuntibus, vtpote foſſoribus, agricolis, meſſoribus, cæteriſque id genus operariis, modò ab oppilationibus puri atque vacui ſint, ac denique iis etiam, qui impinguari cupiũt, ſuillam potiſſimum exhibendam. Ad eiuſmodi enim corporum conſeruationem alimento plurimo, firmo, atque ægrè diſſipabili opus eſt. Rectè itaque Rhazes lib. 3. ad Alman. cap. 9. Craſſa, inquit, caro multum ſeſe exercentibus conuenit, iis verò, qui vitam in maiori ocio ac quiete degunt, ſubtilis & extenuans. Quod Auicenna quoque 3. 1. doc. 2. cap. 7. ita fermè ſcribens confirmat. Vehementer

ſeſe exercẽtes, multóque labore fatigati firma magis & craſſa alimenta requirunt.

Secunda verò carnium electio à temperamento, concoctione, ac ſucci inde geniti probitate ſumitur, atque ea quidem ratione hædinæ longè cæteris præferũtur. Nam, vt Razes loco paulò antè citato autor eſt, temperatura ſunt mediocri, nullius prauitatis participes, facilè concoquuntur, tum ſanguinem quoque inter ſubtilem & craſſum, calidum, ac frigidũ temperamẽtum efficiunt. Illis tamen, qui multum exercentur, in cibo minus idoneæ ſunt, ſiquidem alimentum, quod corpori ſummittunt, forti exercitio, ſiue labore celeriter diſcutitur. Iuuenibus temperatis mediocri exercitio vtentibus, quemadmodum & illis quoque, de quibus ſuprà dictum eſt, magis conueniunt.

Porrò quemadmodum hac ratione inter animalia domeſtica caro hædina præſtantior eſt, ſic inter agreſtia quoque capreoli facilè primas obtinent. Poſt hædinã autem ſecundũ locum arietina ſibi vendicat, ſi quid Rhazæ atque Auerrhoi credimus. Quorũ ille quidem lib. 3. ad Almanſo. cap. 9. ita ſcriptum reliquit: Caro arietina quàm hædina craßior eſt, vireſq; magis auget, ſed plures

efficit superfluitates, in bonitate tamen hædinā sequitur carnem. Hic verò libro 5. suorum collecta. cap. 32. de eadem hæc ferè prodidit. Post carnem, inquit, hædinam est arietina, atque ita omnes propè medici sentiunt, præter Galenum, qui arietum carnes abominatur, persuasum enim habet, vitulinam arietina longè melioris esse nutrimēti. Sed Galenus forsan hanc præstantiam ex eo attendit, quòd vitulina plurimū nutriat, & nutrimentum eius ægrius dißipetur. Arietina verò insigini humiditate prædita sit. Nam humidius alimentum, vt distribuitur, ita etiam discutitur celerius. Locus Galeni, quem Auerrhoes citat, est (ni fallor) in lib de cibis bo. & mali suc. cap. 12. verba Galeni sic habent.

Ex pedestribus animantibus caro suilla probatißimus cibus est, deinde hædina, mox vitulina. Agnina verò humida, tum lentorem mucorémque in se habere censetur. Quod idē in libro de attenuan. vic. ratione cap. 7. velut repetens inquit. Ex terrestribus animalibus, hirci, & arietes, & genus omne ouium, ac caprarū, non vndequaq; laudabilis sunt alimenti. Solis autem hædis innoxiè vtare: Agnorū esus propter insignē humiditatē est fugiendus. Ex quibus vtiq;

locis fit hoc etiam perspicuũ, apud Rhazen atque Auerrhoen, agnos masculos, qui aliquantulum increuerint, per arietes esse intelligendos. id quod ipsemet Auerrhoes his verbis cõfirmare videtur. Magna pars medicorũ laudat carnes arietum iuuenũ, &c.

Tertia demum carnium electio siue præstantia in eo sita est, vt neque insuaue, neq; mali odoris, neque glutinosum quicquam gustu repræsentent. Tales autem imprimis vitulinæ sunt, quemadmodum Auerrhoës loco citato iis ferè verbis ostendit, Carnes, inquit, vitulinæ bonæ sunt, minus enim quàm boum ætate declinãtium carnes habent, tum viscositatis, tum frigiditatis ac siccitatis, tũ odore quoque cæteris carnibus suauiores & iucundiores sunt. Qua certè cõsideratione ipsis etiã hædinis præferũtur. Siquidem in coctura hædinarũ muccago, hoc est, lentor, siue viscositas quædã deprehẽditur, quæ in vitulinis nõ apparet. Hædinæ tamen vitulinis succi probitate præstãt.

Ex omnibus, quæ hactenus adducta sunt, liquidò iam constat, non esse tantam inter medicos de carnium electione cõtrouersiam, quanta prima facie apparet.

Hoc quoque scire in vniuersum oportet, quod siccorum animalium carnes in prima

ætate,

ætate, quæ humidior eſt, præſtantiores ſint, & minori momẽto conficiantur: cùm verò adoleuerint, ob ſiccitatem ægrè cõcoquantur. Contrà humidioribus animalibus carnes progreſſu temporis conſumpta humiditate ſuperflua, aptiores & ad cõcoquendũ, & ad nutriendũ fiant. Quod Galenus etiã lib. 3. de alimen facul cap. I. in hunc ſcribẽs modum innuere voluit. Iis, inquit, animalibus, quæ natura tẽperamento ſunt ſicciore, adoleſcens ætas ad mediocritatem ipſam cõfert: humidiorum verò natura, quod ſibi ad probam ac conuenientem temperiem id eſt, ab ætate florenti adſumit. Nõ modò itaque vituli carnes habent ad conficiendum perfectis bobus præſtãtiores, ſed etiam hædi capris: Velut contrà verueces anniculi, agnis lactentibus, & porci anniculi vel bimi porculis paruis. Hinc nõ temerè ab Auicen. 3. I. doc. 2. cap. 7. dictum eſt. Oportet vt cibus, nimirũ ſanitati conueniens, ſit, qualis caro eſt, & præcipue hædorum, vitulorum lactentium, & agnorum anniculorum.

Ex quibus omnibus ſequitur tandẽ, carnes hircorũ, caprarum, arietum, ouiũ, boũ, atque verriũ antiquorum, nõ vndequaque laudabilis eſſe alimenti: Carnes vero vitulorum iuuenum, agnorum anniculorum, &

maialium

maialium anniculorum vel bimorum, valetudini tuendæ esse accommodatissimas.

Hoc quoque ignorandum non est, quod carnes naturali temperamento ficciores sint elixandæ: quo nimirum ab aquæ humiditate contemperentur: Elixatio enim ficcitatem temperat. Humidiores verò assandæ, nempe vt earum humiditate ab ignis calore attenuata nonnihil atque imminuta, mediocritatem consequantur. Assatio enim ex Galeni sententia, humiditatem moderatur. Quo fit, vt carnes leporum, cuniculorum, ceruorum, boum, & capreolorum elixæ: porcellorum verò ac veruecum assæ sint præferendæ. Eadem etiam ratione in ætatibus, temperaturis, atque anni constitutionibus humidis, ficciores & assæ carnes magis conueniunt: In ficcioribus verò humidæ atque elixæ.

DE CIBIS BENE NV- *trientibus.* CAP. VIII.

OVa recentia, vina rubentia, pinguia iura.
Cum simila pura, naturæ sunt valitura.

Hic recensentur tria alimenta, quæ parua quatitate multum nutriunt.

Primum oua recentia, de quibus Auicen. 2. Canon. cap. 530. Et 4. cap. 1. Nutriens, inquit, paruæ quantitatis, & multi nutrimẽti, sicut oua & gallorũ testiculi. Idem multis aliis in locis repetit. Electio: Oua gallinarum, perdicũ, & phasianorum iuuenum & pinguium conferunt in victus salubris ratione: & aliis simpliciter sunt meliora, eligenda autem paruula, oblonga, & candida, vt habetur in hisce vulgatis versiculis: Ouum.

Filia presbyteri iubet hoc pro lege teneri,
Quòd bona sunt oua hæc, candida, longa noua.

Oua item tremula, id est, per decoctionẽ nonnihil inspissata, vt in manu tenentis in cortice suo videantur tremere, sunt meliora duris, & sorbilibus. Multi nutrimẽti, probæ & facilis digestionis, & generant sanguinẽ cordi maximè proportionabilem, Vnde conualescentibus, senibus & debilibus maximè conueniunt, & imprimis vitelli. Vnde Auic. in lib. de viribus cordis, Tract. 2. cap. de ouis, testatur vitellos ouorum, bonæ carnis auium, veluti gallinarum, perdicum, & phasianorum, licet non sint medicinæ cordis, ipsum tamen cõfortatur, Et citò in san-

guinem conuerti, & post transmutationem parum superfluitatis relinquere, sanguinem generare subtilem, clarum, quo maximè cõfortatur cor, multúmq; valere in dissolutione substantiæ spiritus, & diminutione sanguinis cordis: Sorbilia verò oua, facilis sunt digestionis, leniũt pulmonem & pectus, & aluũ deiiciunt, minus tamen nutriũt quàm tremula. Cocta seu durata oua difficilis sunt concoctionis, & tardi transitus, crassamq; corpori exhibent alimoniam. Ouorũ etẽ ex coctura diuersitate magna differẽtia est. Nam quædã sunt assata, aut elixa, aut frixa, aut in iure cocta. Assata elixis sunt craßiora, & duriora, ac difficilioris concoctionis. Focus enim substantialẽ eorum humiditatem exiccat. Et fiunt duobus modis. Aut enim cũ corticibus feruentibus inferũtur cineribus, aut in testu frãgũtur. In testis fracta, reliquis sunt peiora. Illa verò, quæ cũ corticibus, feruentibus inferũtur cineribus, dupliciter fiũt. Aut enim toto cinere cooperiũtur, aut super carbones nuda collocãtur. Quæ cinere cooperiuntur, peßima sunt, quia calor foci circũfusus, fumositatum exhalationẽ prohibet. Nuda super carbonibus collocata, fumositatẽ emittunt, & emũdãtur. Elixa in aqua, meliora sunt aßatis,

quia aquæ humiditas, calori foci, in ſiccã la humiditate repugnat. Fiunt & hæc dupliciter, aut enim cum teſtis elixantur, aut in aquã frangũtur: cum teſtis elixata, reliquis peiora ſunt, quia teſtæ fumoſitatũ & craßi tiei reſolutionẽ prohibẽt. In aquã verò fracta calor penetrat, craßitiẽ attenuat, & odoris grauitatẽ auferẽt. Vnde eiuſmodi cæteris oĩbus ſunt laudabiliora. Frixa, quia peſſimos generãt humores, cæteris peiora ſunt, ſtomacho diutius inhærent, vnde ſequũtur fumi, corruptio, & faſtidiũ. In iure cocta, inter aſſata & in aquã fracta, media ſunt, vt colligitur ex Iſaac diætis vniuerſalibus.

Eſt etiam ouorum ſecundum partes diuerſitas. Nam vitellus in caliditate temperatus exiſtens, bene nutrit. Albumen verò frigidum eſt & viſcoſum, duréque digeritur, & ſanguis inde generatus non eſt bonus, vt teſtatur Rhazes 3. ad Almanſorẽ, cap. 14 Et vt oua prædicta, ſcilicet gallinarum, perdicum, & phaſianorum, conueniũt in victus ſalubris ratione, ita anatũ, anſerum, ſtruthionum, & ſimilium volatilium, minus conferunt. — Oui partes.

Decanards D'oie & de Moineaux

Secundum, vinũ rubrum. Vini ſecundum colorem magna eſt differẽtia. Nam quædã ſunt alba, quædam rubea clara, quædam — Vinorum varia genera.

citrina,

citrina, & quædã nigra. Vina alba cæteris ſunt imbecilliora, minus calida, minúſq; nutrientia, verùm caput minus feriunt, vrinã prouocant, & meatus aperiunt. Quòd autẽ cæteris ſint imbecilliora, patet ſecundũ Gal. com. 1. li. 3. de victus ratione in morbis acutis, vbi inquit: Vinũ potens vehementer celeriterque corpus calfacit, caputq; ferit: imbecillum cõtrario agit modo. Cùm ergo minus calfaciat, minúſque repleat caput cæteris, vt patebit, erit & imbecillius cæteris.

Album. Quòd autem vinum album cæteris minus calfaciat, docet Gal. com. 6. lib. 3. de victus ratione, in morbis acut. Nempe, inquit, ex vinis albis nllum valenter calfacere poteſt: quod enim ſummè calidum eſt, id cõtinuò & flauũ exiſtit, veluti & quod ab ipſo eſt fuluum, mox ab his rubrum, & deinde dulce. Album autem minus quidem his omnibus calfacit. Et hoc verum eſt, ſi inuicem cõpares vina eiuſdem territorii. Quoniam vina rubra & ruffa Gallica, non ſunt tam potẽtia, nec ita calida, ſicut multa alba, quæ in aliis territoriis reperiuntur. Quare comparanda ſunt inter ſe vina eiuſdem territorii. Quòd verò & cæteris minus nutriant, probatur per Gale. com. 11. lib. 2. Aphor. vbi ſic ſcriptum reliquit: Vina aquoſa (ſic autẽ no-

minant

minãt alba & tenuia) ſicuti aquæ ſimilem formam habent, ita etiam vim: quare vrinam cient, & minimè nutriunt. Itẽ in com. 18. eiuſdem libri, Vina, inquit, aquoſa, exiguum præbent corpori alimentum: ſunt hæc colore quidem alba, tenuia verò ſubſtantia. Quòd itẽ minus caput feriãt, probat Auic. 3.1. Doct.2.cap.8. Vinum, inquit, album & ſubtile calfactis eſt melius, nõ enim capitis efficit dolorem, ſed fortaſſe humectabit, & dolorem capitis alleuiabit, qui ex ſtomachi ardore prouenit. Item teſte Gal. com.1. lib.3. de vict. rat. in morbis acut. Ratio autẽ, cur minus feriant caput, eſt, quòd minus fumoſa ac vaporoſa ſint cæteris. Quòd autẽ aperiant, vrinámq; cient, docet Hippo. Canon. 6. li.3. de victus ratione in morbis acut. Ad veſicam, inquit, vino alio magis penetrat, vrináſq; prouocat, & perpetuò purgat: atque multa ad opem his morbis ferẽdam facit. Ex hoc ſequitur, vina alba tenuia, magis conuenire calidioribus ſiue à natura, vt cholericis & ſanguineis, ſiue ab accidẽti, vt ex ira vel mora in ſole. Studioſis præterea magis cõueniũt, & quibus exhibendũ ſit vinum minimè cerebrũ perturbãs, Et habẽtibus cerebrũ imbecillum, ídq; per naturã, ſiue ex accidenti. Et potenti enim vino facillimè

inebriantur, vt innuit Auic.3.1.doct.2.cap. 8. Attamẽ ſi vti voluerint vinis potẽtibus, neceſſe eſt ea copioſiore aqua dilui. Conueniunt quoque vina imbecilla hepar calidũ habentibus & ſtomachũ, & habitantibus in regione calida, quia calida vina in ipſis æſtuationem facerẽt. Vina verò rubra clara, ſicut Bellouacenſia, calidiora ſunt cæteris, vt autor eſt Gal.com.6.lib.3. de victus ratione in morbis acut. Quod ſummè, inquit, calidum eſt, id cõtinuò & flauum exiſtit. Et hæc vina etiã cæteris magis nutriũt, & habet Gal. com.11.lib.2. Aphor. vbi dicit: Craſſa verò & colore rubea, plus alimenti habent, quàm reliqua vina. Ineſt autẽ eis, & citiſſimè implere corpora euacuata. quod ita eſt intelligendum, Vina rubea dici nutribiliora, quia ex eis plus in ſubſtantiã membrorum cõuertitur. Vina tamẽ nigra poſſunt dici nutribiliora cæteris, quòd magis nutriant, & tardius à mẽbris reſoluantur, Vnde Gal.com.8.lib.2. Apho. Craſſa, inquit, & fuſca, multò magis corpus alunt quàm aquoſa. Tantùm verò vincuntur à nigrioribus in nutriendo plurimũ, quãtum ſuperant in præſtando vniuerſum & velox alimentum. Ita enim intelligitur dictum Iſaac in diætis particularibus, vbi

contendit,

contendit, vinũ nigrum plus nutrire quàm rubeum. Et iſta vina rubea magis feriunt caput quàm alba, minúſque vrinam cient. Hinc imbecillum habentibus cerebrum nõ conueniunt, vt dictum eſt, ſed bene habentibus forte, quod vapores ad ſe eleuatos, nõ ſuſcipit, vt dicit Auic. 3.1. Doct. 3. cap. 8.

Sciendum præterea, quòd ingenium hominis fortis cerebri magis clarificetur & acuatur, ſi bibat vinũ bonũ, quàm ſi nõ biberet, vt Auic. teſt. loco citato. Ratio, quia ex bono vino plus quàm ex quocũque alio potu, generantur & multiplicantur ſpiritus tenues, clari & puri. Quare Theologi in contemplatione circa altiſsima deligunt vina bona. Conferunt item hominibus frigidæ complexionis, & phlegmaticis, Auic. ibidem teſte. Corrigunt enim frigiditatem, & aperiũt oppilationes, quæ ſolent euenire frigidis & phlegmaticis, digerúntq; phlegmata ad conuerſionem in ſanguinẽ, & ipſa facillimè digerũtur, citoque penetrãt, præbentq; alimẽtũ purũ, & ſpiritus plurimos. Vina verò citrina, minus calfaciunt quàm rubea clara, vt teſtatur Gal. com. 6. lib. 3. de victus ratione in morbis acut. Magis verò calfaciũt quàm alba, quare magis etiã caput feriunt, teſte eodẽ Gal. com. 1. li. 3. de vi.

rat. in morbis acut. Minus etiam nutriunt quàm rubea, excellentius tamen quàm alba. Et à quibusdam hæc vina etiam alba vocantur. Hinc quidam dicunt, vina alba citò plurimum calfacere, Vina verò nigra minus calfacere quàm citrina, ergo etiam minus ferire caput, sed quia tardius descendunt in ventrem, vrinámque minus cient quàm alba, vehemẽtius caput feriũt quàm alba, vt habet Galen. loco paulò antè citato. Et ipsa vina plus etiam nutriunt quàm alba & citrina, minus tamen, quàm rubea: vt dictum est.

Iura è carnibus. = de Poulets.

Tertium sorbilia facta ex iusculis carnium, & præcipuè pullorum. Huiusmodi enim naturæ humanæ amica sunt, quia facillimè in sanguinem cõmutantur, & sanguinem bonum generant, maximè si præparentur ex simila, id ist, ex subtilißima parte farinæ: quia simila, tritici præsertim, plurimum nutrit, & bonũ nutrimentũ præstat, vt patet ex Raze 3. ad Mansorẽ cap. 3. Hæc tria alimenta Auic. 1. 1. Doct. 1. Summa. 1. cap. 15. circa finem, cõpendiose enumerat. Exemplũ, inquit, subtilis, multi nutrimenti, boni chymi, ouorũ vitelli, & vinum, & aqua carnis. Vnde concluditur hæc tria naturam humanam maximè confortare.

DE

DE CIBIS BENE NVTRIentibus & impinguantibus.

CAPVT IX.

NVtrit triticũ & impinguat, lac, caſeus infans.
Teſticuli, porcina caro, cerebella, medullæ.
Dulcia vina, cibus guſtu iucundior, oua.
Sorbilia, & ficus maturæ, vuæque recentes.

Hîc referuntur res duodecim, vnde corpus humanum & nutriri & impinguari perhibetur.

Prima eſt triticũ, id eſt, panis triticeus, de quo Auicen. 2. Cano. cap. 572. Panis, inquit, qui eſt de frumẽto nouo, impinguat velociter. Razes verò 3 ad Manſorem, cap. 2. Triticum, ait, temperamento vicinum eſt, licet caliditati parũ attineat. Quod autem ponderoſius inuenitur & ſolidius, maioris eſt nutrementi, hominibus quoq; omnibus aliis granis magis conueniẽs, & magis propriũ inuenitur. Sanguis etiã ex eo genera- Triticũ.

tus, omni sanguine qui ex aliis generatur granis temperatior existit. Et capite 3. eiusdem lib. Panis, inquit, qui ex tritico fit, pluribus hominum conuenientior est. Electio autem tritici sumitur partim à sua substantia, partim verò à præparatione. A substãtia quidem, vt dicit Auic. 2. Cano. cap. 250. Melius est illud, quod est medium inter duriciem & raritatem, magnum, pingue, recens, planum, quod est inter rubedinem & albedinem: Frumentum verò nigrum est mali nutrimenti. Electio ex præparatione. Sciendum, quòd omnia quæ sunt ex farina tritici frixa, tardè à stomacho descendant, crassos humores generent, vias hepatis oppilẽt, splenem augmẽtent, & calculum generent, multum quidem nutriunt, si digerantur. Triticum verò elixum in cibo grauat, & difficulter digeritur: quòd si tamen digeratur, vehementer nutrit, & eorum roborat virtutem. Panes autem ad cõcoctionem appositissimi sunt, qui plurimum fermentati, & probè elaborati, in clibano igne moderato percoquuntur, teste Gal. lib. 2. cap. 2. de alimentorum facul.

Lac. Secunda res, lac est, & potest intelligi de lacte acetoso, cui butyrum detractum est, quod si comedatur cum pane recenti, siue calido,

calido, maximè impinguat. Intelligi etiam poteſt de lacte caprino, de quo dictum eſt ſuprà cap. 7.

Tertia res, eſt caſeus infans, ſiue recẽs, de quo Auicen. Cano. 2. cap. 127. dicit, quòd nutriat & impinguet. Et licet caſeus recens nutriat & impinguet, non tamen conuenit in victus ſalubris ratione, quia ſequũtur ex eo nocumenta, ſuprà in cap. 7. enumerata. Caſeus.

Quarta res eſt, teſticuli, quod imprimis de gallorum pinguium teſticulis intelligendum eſt, de quibus Auicen. 1. Canon cap. 719. dicit, quòd ſint valde boni, & plurimi nutrimenti. Et quarta, 1. cap. 1. teſtatur, eoſdem parua quantitate multum nutrire. Idem ſentiri poteſt de teſticulis porcorum admodum pinguium, Venerem nondum expertorum. Etenim quantò horum caro aliis præfertur, tantò horum quoque teſtes aliorum animalium teſtibus, Galen. lib. 3. cap. 6. de alimentorum faculta. Eſt hîc quoque diligenter notandum teſticulos animalium prouectorum, in quibus ſemen iam fermentatum eſt, non eſſe boni nutrimenti, ſed teſticulos animalium iuuenum, nondum Venerem expertorum, quibuſq; ſemen nondum fermentatum eſt, laudabilis eſſe nutrimen- Teſticuli.

ti, si probè concoquantur.

Quinta, caro porcina, de cuius electione & effectu satis supérque dictum est suprà cap. 7.

Sexta, cerebella, pro cuius declaratione obseruandum, quòd cerebrum stomacho sit inimicũ, nauseam concitet, & cibi fastidium, pituitosum & craßi succi: Si tamen probè confici poßit, alimentum corpori non infimæ notæ præstabit. Attamen cauendum, ne in cibis postremo loco sumatur, nimirum ipsa loquẽte experientia, nauseam pòst cõsecuturam. Neque iniuria plerique cũ origano sumptitant, vti nonnulli cum apparato variis modis, sale: quippe, cùm crasso succo & superfluo constet, incidentibus & calefacientibus contemperandum est. Quod quidem antequam comedatur, super ardentibus carbonibus assandum est. Nocet autem iis quos frigidæ infestare solent ægritudines. Hominibus verò cõplexionis calidæ minorem noxiam præstat, teste Rhaze 3. ad Mansorẽ, cap. 11. In summa, parum conuenit in victus salubris ratione. Aliquando tamẽ cõuenit vt medicina, sicut cerebrum capreoli confert contra venena & morsum venenatorum, & cerebrum leporis contra tremorem, & vt quibusdam placet, cerebrum

Cerebrũ.

pulli

pulli & caponis ad memoriam & acumen siue vigorem ingenii. Circa electionem tamen sciẽdum, meliora esse auium, & præcipuè montanarum. Ex cerebis autem quadrupedum præfertur arietis, deinde vituli, vt testatur Auicen.2.Canon.cap.329.

Septima, est medulla, quæ multi nutrimenti est si quidẽ bene digeratur, vt dicit Auic.2. Can.cap.496. Etiam facilè in sanguinem conuertitur, hoc tamen mali præstat, quòd prouocat nauseam, & cibi fastidium. Quare Auicenna teste, seminibus & pipere condienda est in cibo. Quod delicatuli quidã & apitii faciunt citoniis & passulis. Electio, Dicit Auicenna: Cõuenientior est medulla vitulorum & cerui, deinde tauri, & postea caprearum, deinde ouium. Medulla oßium.

Octaua, dulcia vina, de quibus infrà cap. II.

Nona, cibus gustu iucundior, hic enim maximè nutrit, iuxta Aphor.38.li.2. Hipp. Parũ deterior potus, aut cibus, suauior autẽ, melioribus quidem, sed minus suauibus est præferendus. Et Gal.in com.ait: Quæcunq; cum voluptate adsumuntur, ista ventriculus auidius amplexatur, facilius concoquit, sicut illa, qua displicẽt, refugit. Vnde & nausea, & flatus, & fluctuationes subsequũtur.

Hinc quidam maius nutrimentum consequũtur ex cibo malo quàm bono, quia malo magis delectantur.

Oua sorbilia. Decima, oua sorbilia, quæ parua quantitate multum nutriunt. Sed de his suprà cap. 8. des oeufs bons à avaller.

Ficus. Vndecimum, maturæ ficus, quæ dulcedine sua multum nutriunt & impinguant. Et licet nutrimentum habeant imbecillius nutrimento carnis & granorum, vehemẽtius tamen omnibus aliis fructibus & nutriunt & corroborant, teste Aui. 2. Canon. cap. 233. vbi sic inquit: Ficus quidem nutribilior est cæteris fructibus. Idem 3.1. Doct.2.cap. 7. Fructus, inquit, nutrienti magis similes sunt, ficus, & vuæ valde maturæ, & dactyli. Electio, Auicenna 2. Canon. cap. 233. Melior est alba, deinde rubea, deinde nigra, & quæ vehementer matura est, melior est, & proxima ad hoc vt non noceat.

Ficus item humidæ, & recentes magis velociúsq; nutriũt quàm siccæ, & citius de stomacho ad hepar pertranseunt, ipsúmque magis humectant, & lenius reddunt quàm siccæ. Siccæ verò minus inflant, & magis conueniũt stomacho quàm humidæ, De siccis Auic. loco iam citato sic inquit: Sicca quidem in suis operationibus est laudabilis,

lis, verùm sanguis ex ea generatus, non est bonus, & propter hoc facit pediculos: verùm si sit cum nuce, tunc eius chymus fit bonus, & post nucem cum amygdala. Sequitur in Auic. Administratio siccæ cùm ieiunium adest, est mirabilis iuuamenti in aperiendo vias cibi, & propriè cum nuce & amygdala, cum tamen eius nutrimentum cum nuce sit plus quàm cum amygdala. Vtræq; ficus in hoc conueniunt, quòd inflent, leniant, superfluitates ad cutem expellant, sudorem prouocent, asperitatem gutturis emendent & leniant pectus, pulmonem, & cannam eius, obstructiones hepatis, splenis, & renum tollant.

Duodecima, vuæ recentes, id est, dulces & maturæ. Porrò, triplex vuarum genus est, nam quædam sunt immaturæ & acerbæ, vnde fit agresta, quæ stringit ventrem, choleram rubeam, atque sanguinem reprimit. Plurimum item confert in fluxu vẽtris cholerico. Aliæ sũt maturæ, virides & recẽtes, ex quibus vinum exprimitur. Hæ præcipuè, si albæ fuerint, sine nucleis & cortice, ventrem laxant, & præ cæteris fructibus plurimum nutriunt, quemadmodum & ficus, minoris tamen nutrimenti sunt, quàm ficus. Auicenna 2. Canon cap. 737. Attamen

Vuarum triplex genus.

men ventositatem, inflationes & ventris dolorem generant. Si per duos vel tres dies à collectione aëri suspensæ exponantur, donec cortex detumescat, melius nutriunt, minúsque laxant, neque tantùm inflant. Habentibus autem stomachum plenum cibo, & malis humoribus, nullo modo conueniunt vuæ, & in primis recentes, & sine aridis. Citò enim in stomacho immundo & pleno cibis corrumpuntur, quia citius quàm par est digeruntur, nec possunt digestæ è stomacho ob cibum nondum concoctum descendere, quare cùm ipsæ corrumpuntur, tũ alium cibum in corruptionem trahunt. Ita & de aliis fructibus laxatiuis sentiendum est. Si quis velit vti vuis viridibus ac recẽtibus, prius per horam in aquam feruentem infundantur, deinde in aquam frigidam, ac tandem vtatur. Rhazes verò 3. ad Mansorem capite 20. testatur, velociter corpus impinguare, & augmentare erectionem virgæ. Quæ autem ex eis corticem habent tenuem, citius descendunt, minúsque inflant. His contrariæ, contraria operãtur. Aliæ vuæ sunt siccæ, quæ passulæ vocãtur, hæ in calore sunt tẽperatæ, bene nutriunt, & cõfortant stomachum, & hepar, autore Auicen. 2 Canon. cap. 737. Et oppilationes

tiones remouent. Dicitur quoque hepar ex eis impinguari, & maximè si mundentur ab aridis. Et ita intelligenda sunt, quæ hîc dicuntur de vua matura, recēti, & de vua sicca, quam passulam vocant.

DE BONI VINI PRO-*prietatibus.* Cap. X.

VIna probātur odore, sapore, nitore, colore.
Si bona vina cupis, quinque hæc laudantur in illis:
Fortia, formosa, & fragrantia, frigida, frisca.

Hîc traduntur quatuor generalia signa boni vini. Primum, odor: vinum enim boni odoris, siue redolens, multiplicat spiritus tenues, & secundum Constantinū, *quinto* Theorices, *ca.28. bene nutrit, bonúmq; sanguinē generat.* A *vino verò fœtido natura humana abhorret: spiritus nanque crassos, & melancholicos generat, & malū sanguinē, capitísque dolorem, ex malo fumo, in caput penetrante:* Gal. *verò com.*1. *li.*3. *de vic. rat. in morb acut. vt habetur in veteri trāslatione,* Vini odor.

latione, vbi agit de vini diuersitate, secundum odorem, sic inquit: Quod ex vinis est boni odoris, est melioris chymi, & secundum illud est multitudo, quæ implet ex eo caput, quod est, quia est calidius & subtilius, Quod autem ex eis est mali odoris, secundum maliciam chymi generati ab eo erit paucitas læsionis eius in capite, Quod est, quia est frigidius & crassius. Illud autẽ, cuius penitus non est odor, non facit accidere in capite aliquid omnino, quoniam est vehementer crassum.

Secundum, sapor. quemadmodum enim cibus sapidior, melius nutrit, & auidius à stomacho attrahitur, vt dictum est suprà, ita & vinum. Sciendũ tamen quòd & vini secundũ saporem, magna sit diuersitas. quædã enim sunt dulcia, aliis nutribiliora, crassum sanguinem generãtia, ventrẽ humectãtia, concoctioni renitentia, & sitim excitãtia. Alia Põtica, siue stiptica, stomachũ confortantia, ventrem constipantia, pectori & eius pertinentiæ, scilicet pulmoni & cannæ eiusdem nociua, intestinis congrua, ad digerendũ dura. Alia acerba, quæ sunt diuretica, id est, vrinã proritant, crassos humores dissoluẽtia. Alia amara, minus calida, Hæc Constantinus 5. Theorices cap. 28.

Tertium, nitor, siue resplendentia, vnde
vini subtilitas deprehenditur, ac deinde ex Vini ni-
eo spirituum generatur subtilitas. tor.

Quartum, color, nam secundum colorem Vini co-
vini diuersitas in nutritione apparet. Vina lor.
enim rubicundiora (modò cætera pariter
adsint) albis magis nutriunt, quare macris
conuenientiora sunt, quàm alba, Alba tamen pinguibus magis cõueniunt. Et de hac diuersitate vini secundum colorem dictum est suprà cap. 8.

Sequũtur deinde quinque specialia boni Vinum
vini signa. Primum est, fortia. Fortitudo e- forte.
nim vini cognoscitur ex effectu. Vinũ enim potens vehemẽter celeritérque corpus calefacit, capútque ferit, inquit Gal. com. 1. lib. 3. de victus rat. in morbis acut. Maximè enim spiritus multiplicat, & multũ nutrit. Abstinendum tamen ab illo, nisi sit dilutũ, iis, qui sunt imbecillioris cerebri, quia magna inde ad cerebrum fumorum copia elata, ipsum facillimè læderet. Secundum, for-
mosa. Vinum enim formosum siue pulchrũ, Vinũ for-
cum maiori appetitu sumitur, facilius dige- mosum.
ritur, & melius nutrit.

Tertium, fragrãtia. Vinum enim fragrãs, Vinũ fra-
siue bene redolens, maximè confortat, & grans.
spiritus tenues generat.

Quartum,

Frigidū. Quartum, frigida, nam vinum, quo ad tactum frigidum esse conuenit, non autem quo ad affectum. Vinum enim calfactum, cùm sit rarius, & subtilius, citius inebriat, neruos debiliat, & caput lædit, nisi moderatè sumptum fuerit.

Friscum. Quintum, Frisca. Vinum enim bonum debet esse friscum, siue leue, vt effusum spumādo sonum faciat, vt habeat spumam tenuem, ac facilè labilem seu euanescentē in me lio seu quādo in eo mouentur atomi. Vinū enim ni fuerit eiusmodi dispositionis, pēdulum dicitur, & maximè, si neque sonet, neque atomos habeat. Vel debile, seu dilutū, si spumam habeat cum magis ampullis, vel ad latus scyphi spuma diu hæserit.

DE VINO DVLCI & Albo. Cap. XI.

Corpora multum augent tibi dulcia candida vina.

Alij sic:

Sunt nutritiua plus dulcia candida vina.

Hoc versu docetur cādida & dulcia vina (si cætera pariter adsint) reliquis magis nutrire. Quod quidē testatur Constantinus lib.

lib.5.cap.28. Et Auic.3.1. doc. 2.cap.8. Vinum quoque, inquit, crassum, quod est dulce, est melius illi, qui vult esse pinguis. Vina etenim dulcia, propter dulcedinẽ, cui natura congaudet, vehementer à membris attrahuntur. Dicit enim Auic.2. Can. tract.1.ca. 3. Operationes autẽ dulcis sunt digestio, & lenificatio, & multiplicatio nutrimenti, & natura diligit ipsum, & attractiua virtus attrahit ipsum. Et licet hic versus, in omni vino dulci veritatem habeat, eligibilius tamen est vinum moderatæ dulcedinis, quod summum dulcedinis gradum non attingit, veluti vinum quod vulgò Muscatellinũ dicitur: tale enim corrumpit sanguinẽ, quia naturalis vis hepatis illud ex stomacho ad se capit priusquàm concoquatur, & maturetur eius superfluitas, vnde repletur sanguis aquositate indigesta, & redditur aptus ebullitioni & putrefactioni. Idẽ intelligẽdũ & de aliis cibis in sũmo dulcibus. Vinum candidũ & dulce.

Insuper sceindum ex vsu vini dulcis, aliorúmque alimentorum dulcium, tria sequi nocumenta in dispositis. Primum est fastidium, quia dulcia caliditate & humiditate sua leniunt, & leuigãt orificium stomachi, inducentia illuc dispositionem inanitioni & corrugationi cõtrariã, quæ sunt

causa

causa famis. Secundum, velocitas inflāmationis eorum, & conuersionis in choleram. Nam dulcia choleram pariunt, quare mel præ omnibus aliis choleram generat, est enim dulcissimum: secundum locum obtinet vinum dulce, vt habet Gal comment. 2. lib. 3. de victus ratione in morbis acut. Hinc etiam sitim inducit, nec confert febricitantibus, neque cholericis, Galeno ibidē teste.

Tertiū oppilatio hepatis & splenis. Hæc enim mēbra dulcia maxima cum delectatione ad sese, vnà cum fece attrahunt, antequàm concoquantur, & maximè hepar. vnde etiā facillimè obstruuntur crassa substātia, in qua dulcis sapor fundatur, ad hoc præcipuè cooperante. Autor Aui. 2. Canon. Tract. 1. cap. 3. Hinc sequitur dulce vinum reliquis minus ciere vrinam. Et contra ista tria nocumenta, plurimum valent acetosa, quia appetitum acetositate sua prouocant, & frigiditate inflammationem prohibent, & subtilitate substātiæ, oppilationes aperiunt. Et licet vina, & alia nutrimēta dulcia hepar ac splenem obstruant, pulmonem tamen ab obstructione liberant, quia in transitu per meri à dulcibus nil nisi subtile ad ipsum resudat, & sanguis ex rebus dulcibus ad pulmonem nō penetrat, nisi prius

in hepate purior & in corde subtilior factus, testis Gal. comment. 2. lib. 3. de victus rat. in morb. act. Vina item dulcia minus inebriant secundum Hippocr. lib. 3. de vict. rat. in morb. acu. can. 2. Vinũ, inquit, dulce, minus caput, minúsque mentem ferit. Ex dictis iam omnibus colligitur, vinum si bibatur, vt corpus nutriat, instauret & impinguet, vt in macris siue per naturam siue ex accidenti maximè competere dulce, crassum & sufficienter coloratum. Hoc enim valde nutrit, deperditum instaurat, & impinguat corpus. Quòd si verò nullum horum fuerit necessariũ, sicut in obesis & pinguibus, eligenda sunt vina subtilia, sapore grato, odorifera, subalbida, & temperatè fortia. Ad sitis quidem extinctionem eligẽdum est vinum album, subtile, & imbecillum. Hoc enim magis humectat & refrigerat, & per consequens, melius extinguit sitim, & quantò sitis maior est, tantò ipsum conuenientius est. Ad spirituum verò & virtutis confortationem, & reparationem exhibendum est vinum subtile, odoriferum, saporis delectabilis, mediocris coloris, sufficiẽtis fortitudinis, & hoc cum pauco cibo. Pectoris autem & pulmonis mundificationi, & ventris laxationi, eligendum est vinũ

mediocris substantiæ, & sapore dulci.

DE VINO RVBRO. Cap. XII.

SI vinum rubeum nimiũ quãdoque bibatur,
Venter stipatur, vox limpida turbificatur.

Hîc recensentur duo nocumenta nimiæ potationis vini rubri.

Vinum rubrũ nocuum.

Primum, constipatio ventris, quia vinum rubrum vehementius (si cætera pariter adsint) calfacit ac nutrit. Quantò enim calidius est, eò magis exiccat, & quãtò magis nutrit, tãtò auidius à natura retinetur. Potest etiam intelligi de nimia potatione vini rubri, stiptici, aut Pontici, vnde constipatur venter. Ad stomachi & viscerũ retentiuæ virtutis cõfortationem, eligenda vina crassa, Pontica, vel stiptica, rubra, vel nigra, veluti in habẽtibus fluxum ventris, ob debilitatem facultatis retentricis stomachi, teste Hippoc. 3. lib. de vict. rat. in morbis acut. Canon. 7. Fuluum vinum & nigrum, austerum &c. Et ibidem Gal. in cõment. Ad confortationem verò digestiuæ

virtutis

virtutis competunt vina ſubtilia, mediocris ſubſtantiæ & coloris, odoris boni, ſaporis iucundi, & vigoris ſufficientis, nonnihil ſtipticitatis participantia. astringeant.

Secundum eſt exaſperatio gutturis ſiue raucedo, quam pariunt vina quædam intẽſæ rubedinis, ob ſiccitatẽ & terreſtritatem, cuiuſmodi ſunt vina rubra Brabantiæ, & maximè muſta: quæ equidem & vẽtris ſoluendi vim habent, quia muſtũ admodum rubrum facere ſolet ventris fluxum propter feces terreſtres cum eo mixtas, quæ ſua acrimonia mordicant inteſtina, vnde cauſatur fluxus ventris, Quare bibẽdum non eſt, niſi cùm ad plenum deferbuerit. Quoniam verò ipſum mordicat, ab eo etiam reſoluitur fumus mordicans, qui ad cerebrum elatus, oculos corrodit, ac rubefacit. Cauſa autem cur fumus ille mordicet eſt, quia vinum, vnde diſſoluitur, eſt mordificatiuum. Nam, vt Gal. inquit com. 14. lib. 1. apho. Oportet ſimilem eſſe defluxum ſubiectæ ſubſtantiæ, vt quando humida atque aërea ſubſtantia exiſtit, tunc quod ab ea defluit, vaporoſum eſt atque ſuaue: Cùm verò terreſtris atque arida, tunc & quod effluit, fuliginoſum eſt & acre.

CONTRA VENENVM. Cap. XIII.

ALlia, ruta, pyra, & raphanus, cum Theriaca nux.
Hæc sunt antidotum cõtra mortale venenum.

Hic referuntur sex antidota contra venenum.

Allium. *Primum, allium, quod efficacißimum est contra omne veneni genus, & præcipuè contra potum malæ aquæ, teste Serap. capite 321. de temperamentis simplicium, Allium, inquit, quando præsumitur, & pòst bibitur aqua corrupta, incognita, non nocet potanti. Idem innuit Auic. 2. Cano. cap. 75. Et 3. 1. doc. 5. cap. 7. Similem etiam facultatem obtinet cepe. Auic. 2. Cano. capite 123. Quare potest comprehendi sub allio. de eo etiam dicit Auicen. 3. 1. doc. 5. cap. 7. Quòd sit vt Theriaca malarum aquarum, & maximè cum aceto, quia cepe est subtiliatiuum, incisiuum, & abstersiuũ cum stypticitate, & aperit fortiter, teste Auic. 2. Canon. cap. 123. Calidum est in tertio, Quare calfacit, malas aquas prohibens, ne sua*

ſua frigiditate ſtomacho nocumentum infe-rant, & craſſas extenuat, vt citius penetrẽt. Acetum huic permixtum virtutem eius in extenuatione & penetratione aquarum au-get, & à ſiti, quam cepe comeſtum inducere ſolet, præſeruat. Eadem de allio ratio eſt. Quare Auicen.3.1. doct.5. cap. 7. præcipit allia comedere ſuper aquas craſſas & tur-bidas, quia extenuant eas, vt citò deſcen-dant, & prohibent ne ſtomacho & inteſti-nis officiant, neque venas obſtruant. Alliũ præterea ſi ante & poſt itineris ingreſſum comedatur, contra occurentis aëris frigidi-tatem prodeſt. Auic.3. doc.5. cap. 4. Vnde ſequitur, quòd plurimum conducat, per di-uerſas terras oberrantibus, varióque potu vtentibus, iuxta verſiculos Macri:

Allia qui mane ieiuno ſumpſerit ore,
Hunc ignotarum non lædet potus aquarũ,
Nec diuerſorum mutatio facta locorum.

Allium præterea cõtra viperarum ictus, & priuatim hæmorrhoi prodeſt, ita vt non aliud magis, ſi cum vino iugiter adſumatur, aut tritum in eodem ebibatur. Contra ra-bioſorum morſus & illitu & cibo valet, te-ſte Dioſco. Auic. verò lib.3. Tract. 3.cap. 75. Confert, inquit, puncturæ vermium ve-nenoſorum, & morſui ſerpentum, quan-

do bibitur cum vino, & nos quidem iã experti sumus. Et similiter morsui canis rabidi.

Cepe. Cepe quoque iuxta Auic. 2. Can. cap. 123. confert morsui canis rabidi, cum linitur super ipsum aqua eius, aut emplastratur ex eo, cum sale & ruta. Et cepe, quod comeditur expellit nocumentum ventositatis venenosorum. Et dixerunt quidam, quòd ipsum generat in stomacho humorem humidum plurimùm frangentem nocumentum venenosorum.

Notandum tamen, allium, cepe, & porrum, in cibo non competere, neque temperatis, nec calidis corporibus, & in primis cruda. Parum enim & malè nutriunt, sanguinem generãt acrem & pungitiuum, crassos tamen humores extenuant, & viscosos incidunt, decocta verò, pungendi quidem vim exuunt, incidendi tamen & extenuãdi retinent. Vnde cocta magis competunt, quàm cruda.

Porrum. Porrum calidum est & siccũ, noxium succum creat, oculorum aciem hebetat, & sanguinem nigrum & melancholicum generat, somnum tumultuosum parit, neruos pungendi vi lædit, nocet dẽtibus & gingiuæ. Cholericis itaque & melancholicis est vitandum, maximè crudum.

Cepæ. Cepæ calidæ sunt, habéntque caliditatem superfluè

fluè terrestrem, cum humiditate aquosa, tenui & cruda. Si comedantur crudæ, generant in stomacho humores malos, putridos, & corruptibiles. Inducunt somnia mala, & terribilia, largiore cibo, capitis dolores ciēt lethargicos & phreneticos, memoriam & intellectum perturbant. Sed si comedãtur coctæ cum iusculo electæ carnis, promouent digestionem, & minus officiunt, temperántq; cibos frigidos, cumquibus coquuntur. Sed melius est ab eis abstinere. Allium calidum est, nonnihil humiditatis participans, minus tamen quam cepe. Valet contra inflationes, veterem tussim, screatum prouocat, aciem oculorum hebetat, capitis dolorem facit, de quo Gal. lib. 12. cap. vltimo Therapeu. Metho. Est enim, inquit, profectò allium ex eorum ciborum genere, qui & flatum discutiant, & minimè sitim inferant. Sunt qui parum id experti, existiment maiorem quàm cepas sitim excitare: sed planè errore, quum non modò non maiorem quàm cepe, sed nec omnino sitim faciat. Idem omnium planè eduliorum maximè flatum discutit. Itaque ipse certè agrestiũ theriacam id appello. Conueniunt autem hæc tria phlegmaticis tantùm, & crassum viscosúmque humorem habentibus, Chole-

le crachement

ricis planè vitanda.

Ruta. Secundum, Ruta, de qua Dioscor. lib. 3. cap. 45. Ruta letalium medicamentorum antidotum est, si semen ex vino acetabuli mensura ebibatur. Folia per se præsumpta, aut cum nuce iuglande, aridísque ficis, inefficaces venenorum vires reddunt, contra serpentes simili modo sumere conuenit. Eadem repetit Auicen. Tractatu 2. cap. 578. Aristoteles libro 9. capite 6. de historia animalium, tradit mustelam dimicaturam cum serpente, rutam comedere: odor enim eius infestus serpentibus est. Ruta quoque cum ficubus & amygdalis dulcibus manè sumpta, à veneno præseruat. Ruta porrò duplex est, quædam enim satiua & domestica, quædam verò montana & syluestris. Domestica & satiua melior est, quia syluestris calida & sicca est in quarto ordine, quare in cibis damnatur. Domestica, calida in secundo, sicca in tertio. Crassos lentósque humores digerit atque incidit, flatúsque resoluit & extinguit. Serapion cap. 290. de simplici. Ruta est de rebus magis conferentibus inflationibus, id est, ventositatibus, sed in humida est inflatio. Ruta item vehementer visum acuit, & propriè succus eius, cum succo fœniculi & melle fa-

cto collyrio, aut comesta, vt dicit Auic. loco citato. At quia in succo eius quædam est acrimonia oculis infesta, ventilando applicari debet, vt vapor tantùm & substantia eius oculos pertingat.

Tertium, pyra, de quibus Auicenna, Canon. Tract.2.cap.550. dicit, quòd sint cura fungorum mortificantium. Dioscor. lib. 1. cap.132. Aiunt fungos, si syluestria pyra cum eis coquantur, innoxios fieri. Idem intelligi potest de pyris aromaticis, quæ spiritus confortant, & veneni nocumentum repellunt. Pyra. + Champignons.

Quartum Raphanus, de quo Auicen. 2. Canon. Tract.2. cap. 581. Confert, inquit, morsui viperæ, & cum vino morsui cornutæ etiam: Et semen eius confert venenis, & vermibus venenosis, & si ponatur frustum eius super scorpionem, moritur: & aqua eius est experta in hoc, & est fortior, & si momorderit aliquem scorpio, qui Raphanũ comederit, non nocebit ei. Et his qui fungis strangulantur, tã cibo quàm potu salutaris est. Valet etiam contra venenũ, quia vomitiones mouet, per quas stomachus purgatur. Raphanus, sanguinem acrem & pungitiuum gignit, ac proinde biliosis obest, Stomacho aduersatur, ructus ciet, humorésque Raphanus.

que crassos & lentos generat, & si virtus concoctrix debilis fuerit, crudum. Facultas ei inest extenuandi & incidendi.

Quidam raphani radices à cœna crudas ingerunt, quò iuuent scilicet concoctionem, de quo miratur Gal. lib. 2. de aliment. facul. cap. penultimo. Aiunt nanque, inquit, id se ipsa experientia abunde compertum habere, nullus tamen eos citra damnum potuit imitari. Quibusdam tamen placet, summo cibo sumptos, concoctionem iuuare, & ventrem laxare. Quum autem præsumuntur, cibum suspendunt, quare vomituris, commodißimè dantur ante cibum: Summo tamen cibo, si cum sale & aceto parua quantitate sumantur, bonum est. Oculis nocent & capiti, Rhazes lib. 3. ad Mansorem, cap. 18. Raphanus, inquit, calidus est & crassus, qui stomacho longam faciens moram, phlegma incidit, atque cibum ad os eleuat stomachi, vomitum quoque commouet, cuius folia cibum digerunt, & appetitiuam addiuuant, quando ex eis parum sumitur.

Theriaca *Quintum est Theriace, quæ tota sua substantia, tam brutis, quàm ratione præditis animalibus contra venena & calida & frigida opitulatur. Sub hac comprehendi potest & Mithridatium, consimilis ferè efficaciæ.*

caciæ. De Theriaca Aui. 64. tract. 3. cap. 1. Scias quòd Canō maximus in curatione veneni, est cōfortatio caloris innati, & excitatio ipsius ad expellēdū, sicut facit Theriace. De Theriace verò & Mithridatio simul, idē 6. 4. Tract. 5. cap. 5. Sunt, inquit, medicinæ contrario * veneno, quare non permittunt ipsum peruenire ad cor, & sunt sicut Theriaca & Mithridatium. *forte, cō trariæ.

Sextum, nux. Auicenna 2. Canon. cap. 305. Nux cum ficubus & ruta, est medicina omnibus venenis, & ex ea cū cepe & sale, fit emplastrū super morsum canis rabidi. Et hoc maximè intelligitur de nuce sicca, ante cibum sumpta. Sciendum verò nuces siccas recentibus & humidis esse peiores, magis enim vnctuosæ sunt, & citò in choleram cōuertuntur, capitis dolorem inferunt, oculos turbant, vertiginem generant, præcipuè à cibo sumptæ, linguæ paralysin inducunt, vomituris ieiunis in cibo aptæ. Habentibus autem stomachum biliosum inimicæ, vesicas in ore faciunt. Recentes stomacho innocentiores sunt, vtpote suauiores, & minoris vnctuositatis. Ratione tamen humiditatis, vētrem laxant, & si tostæ vltimo loco edātur, præsumptum cibum comprimunt. Nuces.

DE

DE AERE. CAput. XIIII.

Clair aimé

LVcidus & mundus ſit ritè habitabilis aer,
Infectus neque ſit, nec olens fœtore cloacæ.

Optimi aeris notæ.

Hîc quatuor traduntur notæ optimi & habitabilis aëris. Prima, vt ſit purus, id eſt, non infectus à vaporibus, quia impurus alterat cor, ſecundum complexionẽ illius quod ei commiſcetur. Sicut innuit Hali, *com.* 16. *lib.*3. *Galeni artis medicinalis. Secunda, vt ſit luminoſus. Aër enim turbidus, corpori triſtitiam & pigritiam infert, quia commiſcet humores, & turbidus ad cor penetrat, vnde generantur ſpiritus turbidi, & craßi, animam contriſtantes, & pigritiam inducentes. Nihil ergo magis iucundũ ac hilarem reddit hominem, minúſque grauat, quam ſi claro aëre ambulet, vel manè ſurgat. Tertia, ne ſit infectus, cuiuſmodi eſt in locis cadauerum non crematorum multitudine refertis, quemadmodum in prælìis contingere ſolet, & hunc peſtis ferè ſubſequitur: inſpiratus enim in corpore ſpiritus inficit. Quarta, ne fœtorem habeat cloacæ, &*

ſub

ſub hoc comprehendunt infectiones particulares aeris, vt latrinarum, fouearum, culinæ, & locorum, in quos cadauera conuehuntur, & oſſa mortuorum, aut lacuum ſeu paludum, in quibus linum vel cannabis putreſcit. Talis enim ſpiritus noſtros inficit, ac maximam cerebro noxam ſuggerit. Hinc Auic. 2. I. Doct. 2. Et aër quidem, dum eſt temperatus, & clarus, neque ſubſtantia extranea, complexioni contraria, ei admiſcetur, & ſanitatem efficiens, & ipſam conſeruans, & cùm mutatur, contrarium ſuæ operationis operatur.

Verùm quò prædictorum exactior notitia habeatur, ſciendum eſt, aërem pro valetudine tuenda, duobus modis eſſe neceſſarium. Primò quidem ob refrigeratione͂ cordis. Secundò verò, ob expulſionem fumoſarum ſuperfluitatum, ſpiritum & calorem innatum moleſtantium. Quemadmodum enim videmus ignem externum ventilatione aeris ſuffocari, & extingui, ita etiam de ſpiritu & calore innato imaginandum eſt. Indigent enim aere nutriente, conſeruante, & temperante. Temperatio ergo caloris innati fit per aeris attractionem, & depuratio, per aeris expulſionem. Primum quidem per motum attractionis, alterum verò per

motum

motum expulsionis. Si ergo aer attractus, fuerit fœtidus & impurus, corrumpitur calor & spiritus innatus.

Quare eligendus est purus, ac liber, qui ex terra plana vel edita ventorum perflatu vndique lustretur, optimæ essentiæ, & cui nihil vaporis seu halitus alieni admisceatur, neque sit turbidus, nec nebulosus. Hic enim humores conturbat, & animam, vt dictum est, contristat. Nec editis montibus in valle inclusus, qui nullũ perflatum recipiat: hic enim suffocans putrisque est, similis qui in domibus quibusdam est inclusus, in quibus ob putredinem & perflatus defectum, plurimus aceruatur squalor ac situs. Proinde omnibus ætatibus noxius est & euitandus, Quemadmodum & quilibet inclusus. Hæc ferè Gal. lib. 1. de sanitate tuenda.

Tempore tamen epidemiæ, ob generaliorẽ aëris putrefactionem inclusus conuenientior est, vnde id temporis domi manere, ac fenestras concludere præstat, ne qua putridus aer inspiret. Aliàs liberior aer magis eligendus. Euitandus præterea in conseruanda valetudine aer, cui commiscentur halitus stagni & paludis, ac specus profundi, pestilentem auram spirantes, & qui ex anima-

animalium, olerum, erucæ, ceparum & similium, arborum malarum viſcoſitatum, quales ficus & nuces, & leguminum putredine aut fimo coinquinatur. Cauẽdum etiam ne in aliqua primarum qualitatum excedat, ſcilicet, caliditate, frigiditate, humiditate, & ſiccitate, id quod arte noſtra moliemur, ſicut docet Auic. 2. 1. *Doct.* 1. *cap.* 5. & 6.

DE NIMIA POTATIONE *Vini.* Cap. XV.

SI nocturna tibi noceat potatio vini,
Hoc matutina rebibas, & erit medicina.

Hic ponitur præceptum de iis, qui manè ex pridiana vini potatione ægrotant, nimirum vt idem manè rebibant. Potatio autẽ vini nocturna, poteſt inducere vel ebrietatem, vel ſitim matutinam, vel nimiam corporis calfactionem. Si induxerit nimiam calfactionem, maximus error eſt, id manè repetere, nam perinde hoc eſſet, ac ſi ignem igni adderes. Si Ebrietatem cum quadam nauſea, bonũ eſt manè repetere; inde enim

facilè vomitus prouocatur, quem sequitur expurgatio stomachi, qua facta, tollitur & nocumentum ebrietatis, & nausea. Quare cōsulit Hip. semel in mense inebriari, vt ex ebrietate prouocetur vomitus, hic enim maximè ab ægritudinibus chronicis, id est, longis & malis præseruat. Si quis ex nocturna vini potatione, propterea quòd bibere illud non consueuerit, oblæditur, huic & manè quò adsuescat, idem bibere concedetur, & ita ex vini sumptione minorem læsionem sentiet. A cōsueto enim minor fit læsio, test. Hip. lib. 2. aphor. 5. Si verò potationem vini nocturnam sequatur sitis matutina, illa mēdosa est, & curatur quidē potatione vini, sed magis tamē aquæ. Homini debilis cerebri & cuiuscunque alterius cōditionis, summopere cauendum est à frequenti ebrietate.

Ebrietatis incōmoda.

Frequens siquidem ebrietas, inquit Auicenna 3.1.Doct.2.cap.8. inducit sex incommoda in corpus humanum. Primum est corruptio complexionis hepatis, quia vinum immodicè sumptum, calorem eius resoluit, vnde amittit virtutem sanguificam, & loco sanguinis generat aquositates, efficientes hydropisin. Vel incēdit hepar, & humores eius, vnde generatur lepra, vel mania. Secundum

cundum est corruptio complexionis cerebri, ob aßiduam eleuationem fumorum vini, disponentium cerebrum, calidum quidem maniæ & phrenesi, frigidum verò epilepsiæ, lethargo, apoplexiæ, & subeth. Tertium est debilitas neruorum, videmus enim bibulos, & frequenter inebriari solitos, caput & membra tremere, non in senio tantùm, sed etiam in senectute, & iuuentute quandoq;. Quartum, ægritudo neruorũ, sicut spasmus, & paralysis, quia vinum immodicè haustũ, sæpius in stomacho acescit, vnde valde læduntur nerui. Sæpe etiam ex defectu digestionis in aquositates crudas conuertitur, quæ neruos remolliunt, & sæpe humoribus craßis neruos obducit, vnde distenduntur vel contrahuntur. Quintum est apoplexia propter humiditates cerebri à vino multitiplicatas, ita vt omnino vias spirituum animalium à cerebro in membra obsturãt. Sextum est mors subitanea, cùm scilicet stertendo & dormiendo, viæ anhelitus multitudine vini vel humiditatum inde generatarum, clauduntur, & ebrius suffocatur.

Vinum tamen, si modicè bibatur, pluri mum confert. Auic. loco citato, quinq; eius recenset cõmoda. Primum est, quòd caloris

Vini mo dicè sum pti com moda.

sui subtilitate & conuenienti atque occulta proprietate, facilem efficiat cibi penetrationem, cui commiscetur, in omnia membra.

Secundum est, quòd phlegma substantiæ suæ calore & subtilitate incidat atque resoluat, meatus aperiat, & naturam ad excreationem incitet.

Tertium est, quòd choleram rubeam per vrinam, sudorem, excrementa, & resolutionem insensibilem expellat: & hoc de vino albo, vel subrubeo, tenui, natura debili vel diluto intelligendū est. Aliàs enim ex nimia hepatis calfactione, ipsum in cholerā commutaretur potius, alioquin multiplicaret choleram per conuersionem ipsius in eam. Quartum, quòd melancholiam, quæ crassa est, & tardi motus, facilè per proprios meatus ab hepate ad splenē, & à splene ad os stomachi deducat, & eandem vnà cum fecibus è corpore expellat, & melācholiæ nocumentum, contrariam substantiam, complexionem, & effectus, reprimat, ac tollat. Melācholia enim tristitiam, pusillanimitatem, & auaritiam parit. Vinum verò, gaudium, audaciam, magnanimitatem, & liberalitatem. Quintum, quòd omnes modos seu species laßitudinis, nisi multa caliditas

ex-

extranea fuerit coniuncta resoluat. Vinum enim resolutos spiritus abundè reparat, virtutē confortat, humiditates relictas in musculis, neruis, & chordis, & iuncturis, tollit, aut minuit. In laßitudine si opus fuerit, vinum velociter humectat, modò diluatur.

Præbet præterea & plurima alia commoda. Omnium enim velocißimè nutrit calorem, & spiritum naturalem confortat totum corpus calfacit, ingenium acuit, iram extinguit, tristitiam remouet, libidinem incitat, semicrudos humores digerit. Et vt vnico verbo rem totam perstringam, Vinum reddit hominem & anima & corpore virilem, vnde ×abstemii (cæteris paribus) effœminati videntur. × ceux qui ne boivent point de Vin

DE MELIORE VINO. Cap. XVI.

GIgnit & humores melius vinum meliores.
Si fuerit nigrum, corpus reddet tibi pigrum.
Vinum sit clarúmque, vetus, subtile, maturum,

Ac bene dilutum, ſaliens, moderamine ſumptum.

Hîc docetur in primis ex meliore vino meliores humores generari, quãto enim materia præſtantior eſt, tantò etiam præſtantiores inde humores gigni par eſt. Deinde, *quòd vinum nigrum pigritiam corpori inferat, quia reliquis craſsius eſt, & plus terreæ naturæ in ſe continens, quare & ſpiritus inde geniti ſunt craſsiores, autore* Galen. com. 14. *libr.* 1. Aphor. Oportet, *inquit, ſimilem eſſe defluxum ſubiectæ ſubſtantiæ, vt quando humida atque aeria ſubſtantia exiſtit, tunc quod ab ea defluit, vaporoſum eſt atque ſuaue. Cùm verò terreſtris atque arida, tunc & quod effluit, fuliginoſum eſt, & acre.* Tertio loco, *referũtur ſeptem præcepta, de electione vini.* Primum, *vt eligatur vinum clarum, hoc enim quia ſubtile, ſpiritus ſubtiles & claros generat.* Secundum, *vt ſit vetus, nouum enim ſiue muſtum (cæteris paribus) facilius inebriat, fluxum ventris prouocat, atque colicam, quæ accidentia dicuntur infrà capite* 26. Nec *eſt intelligendum, vt omnino ſit vetus, tale enim,* Auicenna 3. 1. *doctr.* 2. *capite* 8. *teſte, eſt quaſi medicina & pauci nutrimenti, id eſt, ma-*

Vinum vetus.

gis

gis ineſt ei virtus alteratiua corporis ad caliditatem & ſiccitatem, quia repurgatum eſt à fece & viriditate, quam prius habuit, & multò quàm antè calidius. Scribit Galen. lib. 8. ſimplicium medica. Vinum ex ſecundo eſt ordine excalfacientium, ſed quod admodum vetus eſt, ex tertio. Tertium eſt, vt ſit ſubtile, ſubtile enim multos & ſubtiles ſpiritus procreat: craſſum verò, craſſos. Quartum, vt ſit maturum, non ſtypticum, ſtypticum enim abſcindit omnes ſpecies euacuationis, vt innuit Galenus commen. 8. lib 3. de morbis acut. Auſterum, inquit, vinum excretiones omnes cohibet. Quare nocet corporibus, quibus per vrinas expurgari eſt opus, & lædit omnia ſuperiora. Infirmitatibus tamẽ inteſtinorum vtile eſt. Gal. ibi. Remouetur autem ſtypticitas, ſi aqua tẽperatum fuerit. Gal ibi. Quintum, vt ſit dilutum, per hoc enim remittit fumoſitatem ſuam, & minus inebriat. Et hoc veritatem habet in vino ſubtili. Craſſum enim ſi diluatur, citius inebriat, ita nanque ſubtiliatur, magíſque fumoſum redditur, de quo Aui. intellexit 3. 1. doc. 2. c. 8. cum ait: Mixtum velocius inebriat. Sextum, vt infuſum quaſi ſubſiliat, & eſt de conditionibus boni vini, de quibus ſupra. cap. 10. Septimum, vt mo-

Dilutũ.

dicè sumatur, Vinum enim modice sumptum, acuit ingenium. Ex omnibus iam dictis colligitur, pro conseruanda bona valetudine, eligendum esse vinum, quod sit medium inter vetus & nouum, clarum, nonnihil rubedinis participās, odoriferum, æqualis saporis, nec acre, nec acutum, neque dulce, nec fumosum, neque crassum nimis, siue subtile, sed ad subtilitatem declinās, natum in colle aperto, Meridiem spectante, regione inter caliditatem ac frigiditatem temperata. Hæc ferè Auicen. loco citato.

Virg. 2. Georg. Apertos Bacchus amat colles.

Circa vini vsum, secundum ætates, notādæ sunt tres regulæ, quas ponit Auic. ibi. Prima est, ne pueris detur vinū in potu, id enim perinde esset, ac si ignem igni addas in lignis debilibus. Quippe, quòd haustum & humectat nimium, & calfacit corpus, tum caput halitu replet, iis qui humido calidóque temperamento sunt, quale est eiusmodi puerorum. Atqui nec repleri his caput est vtile, nec ipsos suprà, quàm par est, humidos, calidósque fieri: Quoniam eò iam caloris humorísque peruenerunt, vt si paululū vtramuis qualitatem auxeris, iam modum excesserint. Secunda est, vt seni detur, quātum tolerare potest, & appetit appetitu naturali, quemadmodum enim ocreæ veteres

aridæ & corrugatæ, oleo: ita corpora senũ vino electo reficiuntur, ac renouantur. Senibus enim cùm frigidi sint, vnum illud maximum commodum ex vino accedit, quòd eorum membra calfaciat, tristitiam & melancholiam, quibus abundant, expellat, & soporem, quò ferè destituuntur, reducat. Obstructiones etiã, quibus iidem obnoxii sunt, tollat. Sanè vinum sicuti pueris est alienißimum, ita senibus aptißimum est. Vinũ est lac senũ.

Tertia, vt iuuenibus exhibeatur temperatè. Nam, vt Galenus inquit, lib. I. de sanit. tuenda: Neque iam adultis vinum, nisi modicè sumptum, existimãdum est vtile esse, quòd videlicet & ad iram & libidinẽ præcipites faciat, & partem animi rationalem hebetem turbidámque reddat, si modum excesserit. His ipsis tamen ad bilis excrementa vel mitiganda, vel expellenda, est sanè non inutile, corpus corroborat, & ingenium ob subtilium & tenuium spirituũ abundantiam exacuit.

DE CREVISIA. La Biere
Cap. XVII.

NOn sit acetosa hæc cereuisia, sed bene clara,

De validis ſit cocta granis, ſatis ac veterata.

Hic traduntur quinque ſigna, de eligẽda cereuiſia. Primum, vt non ſit acetoſa, hæc enim ſtomacho inimica eſt. Acetum nanque, vt Auicenna tradit, neruis officit. Stomachus autem membrum eſt valde neruoſum, ergo, &c. Secundum, vt ſit clara, quia turbida obſtruit vrinarum meatus: Proinde & calculoſis plurimùm nocet, impinguat, flatus gignit, anhelitũ abbreuiat, & phlegmata multiplicat. Tertium, vt ſit cocta ex bonis & validis granis, non corruptis, ex optimo ſcilicet hordeo, tritico, ſiue auena: quantò enim grana meliora ſunt, tãtò & melior humor inde generatur. Quartum, vt ſit bene cocta, hæc enim cùm melius digeritur, tum naturæ conuenientior exiſtit. Malè verò cocta, ventris tormina, inflationes, & colicam paßionem gignit. Quintum, vt ſit vetus, & à fecibus repurgata. Recens enim iiſdem malis obnoxia eſt, quibus malè cocta, præterea & ſtrãguriam facit. empêche d'uriner.

Cereuiſia.

DE

DE NIMIA POTATIONE cereuisiæ. Cap. XVIII.

DE qua potetur, stomachus non inde grauetur.

Hîc vnicum habetur præceptum de vsu cereuisiæ, vt scilicet modicè sumatur, neque inde stomachus prægrauetur, vel ebrietas concilietur. Ebrietas enim ex cereuisia deterior est, quàm ex vino, & diuturnior. Fumi nanque & vapores crassiores ad caput ex cereuisia eleuãtur, quàm vino, quare & tardius resoluuntur. Et sciendum est, prandium vel cœnam (si modò cætera pariter adsint) vtilius à cereuisia, quàm vino inchoari, quia in principio mensæ, stomachus famelicus est, & superfluitates auidissimè à membris ad se attrahit. Si ergo in principio mensæ daretur vinum, quo natura maximè delectatur, eò quòd plurimum nutriat, superfluitates illæ à stomacho attractæ, vnà cum vino ad partes corporis traherentur. Minus autem auidè attrahit cereuisiam. Cereuisia humores item orificio stomachi adhærentes abluit, quare Medici consulunt, vt in maxima fame, prius vomitus prouocetur, quàm cibus sumatur, vt superfluitates

illæ à stomacho famelico attractæ, euacuẽtur, neque cum chylo commisceantur. Similiter qui ex nimia vini potatione sitit, cereuisiam bibat, Hæc enim sitim mendosam tollit.

DE TEMPORIBVS ANNI. Caput. XIX.

TEmporibus veris modicum
prandere iuberis.
Sed calor æstatis dapibus nocet
immoderatis.
Autumni fructus caueas, ne sint
tibi luctus.
De mensa sume quantum vis tẽpore brumæ.

Hîc agitur de cibi mensura secundum anni tempora conuenienti, Et primò de Ve- *re. Vere siquidem modicè prandendum est, paulum cibo demendum, adiiciendúmque potioni. Auicẽna* 2.1. Doctr. *capite sexto.* Ra*tio, Quia tempore hyemis propter eius gulositatem & exercitii paruitatem, & resolutionis prohibitionem, humores crudi, & maximè phlegmatici ex tẽporis proportione*

Veris cibus.

ne

ne generati in interioribus corporis, ob ambientis aeris frigiditatẽ, siue ἀντιπερίστασιν coadunantur. Ver autem superueniens illos eliquat, & diffundit per totũ corpus, quare natura per id tempus plurimũ circa illorum digestionẽ occupata est. Si itaque in vere daretur magna cibi mensura, natura à digestione prædictorum humorum impedita diuerteretur, vtpote, per humores, & magnã ciborum copiam plus æquo grauatam, vnde humores in corpore crudi & indigesti relicti facillimè membrum aliquod inuadentes ægritudinem inducerent. Quare summopere conandum est, vt id temporis cibo nonnihil dematur. Diminutio enim ciborum maximè præseruat ab ægritudinibus veris, teste Auicenna ibidem. Et hoc quidem de adulto & extremo Vere intelligendum. Nouum enim Ver Hyemi adsimilatur, vnde & hyemis ritu per id tẽpus, cibus administrãdus est. Intelligendum item de corpore humoribus phlegmaticis & crudis repleto. Corpori enim tẽperato in humoribus cibus exhibendus iuxta mensuram caloris innati, & resolutionẽ quæ fit à corpore: ablata enim causa est diminutionis cibi. Vnde Hipp. Aphor. 15. lib. 1. Ventres Hyeme & Vere, natura calidissimi sunt, & somni longissimi:

mi: quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus plurimus est, vnde & pluribus egẽt alimentis.

Aestatis cibus. *Secundò, de Aestate, quòd nimia cibi sumptio in æstate noceat. Virtus enim digestiua tum debilis est: spiritus enim & calor innatus, instrumenta virtutum debilitãtur, minúsque ob caloris externi excessum, & attractionem ad exteriora resoluuntur, vnde multum cibum digerere nequeunt. Secundum tamen, propter vehementiam resolutionis humiditatum, tam substantialium, quàm nutrimentalium corporis, æstiuo tempore craßiorem ac maiorem cibum exhibẽdũ esse, si virtus digestioni sufficeret. Verùm cùm non sufficiat vno eodémque tempore multum digerere cibum, parum sæpéque de eo exhibendum est, iuxta illud Galen. com. 17. libro 1. Aphori. Aestiuo quidem tempore, quantum ad temporis rationem attinet, sæpius pauca danda sunt, quoniam & pluri egent adiectione, vt qui sunt dissoluti, & vires habeant imbecilles. Et licet æstate cibo nonnihil demendũ sit, potioni tamen adiiciendum est: tum enim maxima fit resolutio & exiccatio corporis, calor etiã humidum longè exuperat, vnde & sitis ma-*

dor exoritur. Elixis itaque vtendum, cibis-
que frigidis ac potione tum multa, tum di-
luta. Vinum autem vinosum & purũ eui-
tandũ, vt quod facilè inflammetur, & vio-
lento æstu vehementem calorem incendat.

Tertiò de Autumno, vt scilicet per Au-
tumnũ à fructibus autumnalibus, vuis sci- Autumni
licet, Persicis, Ficubus, & similibus absti- cibi.
neatur, vel modicè saltem de iis edatur: ge-
nerãt enim sanguinem putrefactioni accõ-
modum, ob ebullitionem, quam in corpore
& humoribus faciunt, & maximè in sto-
macho immundo in autumno sæpius acci-
dere solet: vnde malæ sequuntur ægritudi-
nes, nimirũ variolæ, morbilli, & pestilẽtia.
Pro maiori notitia victus salubris per au-
tumnum, cauendum est, ne famem & sitim
patiantur, vel cibo vna hora repleantur, vt
præcipit Rhazes 4. ad Mansorem capite
26. de regimine corporis, secundum anni tẽ-
pora. Vinum autem quod bibitur sit pau-
lò liberius dilutum, neque tamen immodi-
cè, vt corpus humectet, & calorẽ reprimat:
minus etiam quàm in æstate bibendum, ne
natura per id tempus debilitata, digerere
renuat, & calor obtusus, vẽtositates & co-
licam generet.

Quartò de hyeme. Tempore siquidem
hyemali

Hyemis cibi parci. hyemali tantum edendum quantum volumus, id est, plus quàm cæteris temporibus, teste Auicenna Phen.2.1. Doctr. 2. capite sexto. Et Galeno, in comment.17.libro primo Aphoris. Hyberno, inquit, tẽpore multa quidem danda sunt propter robur virium, sed rarò, quia non valde multa indigent adiectione laborantes, vt quibus non multa fiat euacuatio. Et ratio est, quia calor innatus hyeme intensior est, tum quia vnitus, tum quia fortificatus διὰ τὴν ἀντιπερίστασιν, id est, iuxta positionem sui contrarii, videlicet, frigidi aeris corpora circũdantis, quod veritatem habet in robustis & corpulentis, & nõ in raris ac debilibus, In huiusmodi enim corporibus intensum hyemis frigus non modò non confortat calorẽ, sed magis debilitat. Et hoc innuit Hip. Aphor.15.lib.1. Ventres hyeme & vere, natura calidissimi sunt, & somni longissimi: quare per ea tempora, alimenta copiosiora sunt exhibenda. Etenim hinc calor innatus plurimus est, vnde pluribus egent alimẽtis, quæ quidem & crassiora, ac difficilioris digestionis exhibere licet, quia calor intentior est. Vino autem vtendum est meraciore & rubicundiore. Notandum tamen, quòd licet cõsideratione habita ad fortitudinem

Du Vin sans eau

caloris

caloris & virtutis digestiuæ in hyeme, crassiores & densiores cibi cõueniant: attamen quia corpora per id tempus ob phlegmatis abundantiam facillimè replentur & obstruuntur, & parua à continente fit resolutio: tutius est vti cibis inter solidum, & rarum mediis, sicuti caro hædina, vitulina, mutonis, lucii, percarum & cancrorum. Crassioribus verò, vt bouina, porcina, ceruina, concharum, ostrearum, carponum, & similium, abstinendum, aut vna saltem comestione vtendum, adhibitis sæpius rebus apertiuis & diureticis, vt Petroselino, Nasturtio, Apio, & exercitio forti.

DE POTV PRAVO CORrigendo. CAP. XX.

SAluia cum Ruta faciunt tibi
pocula tuta.
Adde rosæ florem, minuúntque
potenter amorem.

Traduntur hoc loco duo remedia de prauo potu corrigẽdo. Primum est Saluia, Saluia. cuius folia potui imposita prauitatem eius ex proprietate corrigunt. Habent etiam in

se

ſe virtutem confortandi neruos & cerebrũ, quibus cõfortatis melius reſiſtitur malis fumis, ex prauo potu prouenientibus. Secundum eſt Ruta, cuius integra folia abſque contritione potui impoſita, caliditate & proprietate ſua corrigunt malitiam eius. De Ruta quo modo contra venena valeat, dictum eſt cap. 13. Sequitur deinde in vltimo verſu, quòd his duobus addi poßit flos roſæ. Et hoc maximè intelligẽdum de roſa rubea, quæ fragrãtia ſua, & ſtyptico ſapore, potus malitiam tollit.

Ruta.

DE NAVSEA MARINA. CAP. XXI.

Nauſea non poterit hæc quẽ vexare marina.
Vndam cum vino mixtam qui ſumpſerit antè.

Hîc traditur remedium nauſeæ, ſiue vomitus ex marina traiectione prouenientis in non conſuetis, vt ſcilicet traiecturi priuſquam nauem conſcendant, dies aliquot vino ſuo aquam marinam miſceant, ſi diuites fuerint: Sin verò pauperes, aquam marinã

abſque

absque vlla mixtione bibāt. Ita enim nauseam nullo negocio euitabunt, quia aqua marina, salsedine & stypticitate sua, orificium ventriculi claudit, vnde vomitus impeditur. Et notandum, Auicenna Phen.3.1. Doctr.capite 8. teste, Vectorem marinum à principio non debere retinere, siue reprimere nauseam, vel vomitum, sed dimittere donec bene purgatus fuerit, hoc enim à multis ægritudinibus non solùm præseruat, verùm etiam curat, vel alleuiat vehementes, & magnas ægritudines, vt lepram, hydropisin, apoplexiā, frigiditatem, & inflationem stomachi, vt docet Auicen. ibidem. Si tamē, inquit, vomitus vectoris in mari superfluus fuerit, sic vt vehementer debilitetur, restringendus est comestione fructuum stypticorum & acetosorum, veluti sunt cotonea, maciana, & granata. His enim orificium stomachi confortatum humores deprimit: Stomachus etiam confortatus, humores ad se vndarum exagitatione affluentes repellit. Apii item semen torrefactum, & cum vino potum, confert, vel Absinthium potum, siue comestum. Panis etiam assatus & in vino odorifero maceratus si edatur prodest. In summa, tota victus ratio sit ex acetosis, stomachum confortantibus, & prohibentibus ascensum (Vapores stomachi prohibentia.)

aſcenſum vaporum & humorum ad caput, vt lentes coctæ in aceto, vel ſucco vuæ acerbæ.

DE GENERALI CONDIMENTO. CAP. XXII.

Saluia, Sal, Vinum, Piper, Allia, Petroſelinum.
Ex his fac ſalſam, ne ſit commixtio falſa.

Hic habetur modus conficiendi ſalſamẽti communis, ſi in menſa ſpecialia deficiant. Et recenſentur quinque ex quibus fieri poſſit. Primum eſt Saluia, qua fit condimentum in aſſatione, ſiue decoctione anſeris. Anſeres enim ſiue porcelli cùm aſſantur ſaluia ferè impleri ſolent, vt humiditates ſuperfluæ ſiue viſcoſæ exhalent, & ſaluiæ odor anſeribus vel porcellis imprimatur. Poſt aſſationem tamen, ſaluia reiicienda eſt, & non comedenda. Ex ſaluia etiam condimentum conſiciunt ruſtici, quo in anſerum eſu vtuntur: contundunt enim allium cum vino & ſaluia, vt auferatur aliquantulum de ſapore allii. Secundum, Sal cum vino

Salſamẽta varia.

Saluia.

Sal cum vino.

vino, estq; salsamentum diuitum, siue nobilium. Ipsi enim deficiente sinapio, vel veriuto, imponunt salsario vinum, & parum salis. Tertium, Piper, est que salsamentum rusticorum, commiscent enim Piper cum fabis & pisis. Similiter etiam ex pane asso cum cereuisia, vel vino & pipere, fit salsamentum nigrum ad modum pultis, quod etiam piper vocant, & hoc effundunt super carnes, aut pisces. Quartum, Allium, ex quo etiam fit salsamentum rusticorum. Miscent enim cũ molli caseo & lacte, terendo alliũ, & ita comedũt cum cibo siue asso, siue elixo, siue salso, siue dulci, & cũ ouis duris. Quintum, Petroselinum, ex cuius foliis contusis cum veriuto, vel albo vino. fit viridis salsa, quam cum assis edunt. Et hîc notandum, salsamenta, siue salsas secundum temporum diuersitatem vario modo confici: Tẽporibus enim calidis inclinant nonnihil ad frigus, vel paruam caliditatem habent. Tẽporibus verò frigidis contrà. Piper. Allium. Petroselinum.

Materia igitur salsarum æstate sit veriutum, vel agresta, de summitatibus vitis, vel acetum, succus limonum, vel citrangulorum, vel granatorum cum saccaro, & aqua rosarum. Quibus interdum addi potest aliquantulũ serpilli & petroselini, aut prædictorum Aestatis.

dictorum frigiditatem temperandam. Materia verò salsarū temporibus frigidis sit sinapium, eruca, Zingiber, piper, cinnamomum, caryophyllum, allium, saluia, menta, serpillum, petroselinum, vinum, iusculum carnium, acetum nō forte, sed vini naturæ propinquum. Tēporibus verò tēperatis, salsarū materia sit inter caliditatē & frigiditatem tēperata. Secundò, variantur ratione cibariorum. cibariorum enim alia aliis indigent condimentis, id quod coqui non ignorant. Mutonum enim, vitulorum & capreorum salsa debet esse viridis, in æstate quidem ex aceto & agresta, cum paucis speciebus sine Allio, cum Petroselino, Zingibere albo, & agresta, & pane asso in acetum vel agrestā infuso.

Hyemis. *Hyeme fiat eadem cum pluribus speciebus, pauco allio, optimo vino, & pauca agresta, vel sufficiat sinapium & eruca. Salsa autem pro carnibus bouis elixis est piper coctum ex pipere, pane asso, iure carnium, & pauca agresta, & hæc eadem satis conuenit carnibus porcinis in hyeme. Possunt etiā carnes porcinæ comedi æstate in principio refectionis cum aceto & petroselino. Si verò prædictæ carnes pastilentur, præsertim bouinæ & porcinæ, Hyeme quidem*

adponatur

adponatur cepe, allium cum puluere specierum dulcium parua quantitate. Aestate verò sine cepis cum veriuto, vel cepæ paruæ in pauca quantitate. Si autem pastillatura fiat ex carnibus subtilioribus, non adponatur cepe. Aestate quidem lac amygdalarũ, cũ veriuto, & pauco puluere specierũ dulcium, in fine adponatur ouum conquassatũ cum agresta. Hyeme verò loco agrestæ sumatur vinum cum speciebus. Assaturæ autem cuniculorum, & pullorum conuenit cõdimentum ex Cinnamomo & mica panis. Aestate quidem cum agresta: Hyeme verò cum vino, Assaturæ porci conuenit liquor inde descendens, conquassatus cum optimo vino & cepis, idque in hyeme. Aestate verò salsa viridis, cuius suprà facta est mẽtio. Assaturæ phasianorum, columbarũ, & turturum, nullo alio indigent condimento præter salem. Caponum verò & gallinarum elixatarum, conueniens condimentum, est aqua decoctionis earundem, cum aliquantulo pulueris specierum dulcium, & præcipuè si addantur in decoctione saluia, hyssopus, petroselinum, idque in hyeme. In æstate sufficit sola aqua cum succo summitatum vitis. Verùm pro salso caponum & gallinarum pinguium pastillandarum, nihil pe

nitus apponendum est, præter pauculum pulueris specierum, & in fine agresta suprà dicta in æstate, optimum vinum in hyeme.

Piscium salsa. *Pisces verò quantò sunt carnis craßioris, difficilioris digestionis, maioris superfluitatis, & humidioris naturæ, tantò indigent salsis calidioribus & acutioribus, quod etiam in carnibus obseruandum.*

DE LOTIONE MANVVM. CAP. XXVIII.

Lotio post mensam, tibi confert munera bina,
Mundificat palmas, & lumina reddit acuta.
Si fore vis sanus, ablue sæpe manus.

Hoc loco duo referuntur commoda ex lotione manuum à cibo sumpto. Primum, quòd ita manuum palmæ emundentur. Secundum, quòd reddat lumina acuta, id est, prosit oculis, ídque per accidens. Manus enim sunt instrumenta mundandorum, quare multum confert eas esse mundas. Sed de hoc satis dictum est, cap. 3.

DE PANE. CAP. XXIX.

PAnis non calidus, nec ſit nimis inueteratus,
Sed fermentatúſque, oculatus, ſit bene coctus,
Et ſalſus modicè, & frugibus validis electus.
Non comedas cruſtam, cholerã quia gignit aduſtam.
Et panis ſalſus, fermentatus, bene coctus.
Purus ſit ſanus, non talis ſit tibi vanus.

Hîc præcipitur, duo eſſe vitanda circa electionem panis. Primum eſt caliditas. Panis enim calidus, humanæ naturæ nocet, iuxta illud Auicen. 2. Canon. capite 572. Non comedatur, inquit, calidus ſicut eſt, Panis enim calidus non eſt naturæ conueniens, & vſus eius è furno, & reliquorum ſimilium eſt malus, quia multum oppilat. Panis calidus, caliditate ſua ſitim facit, & natat ob ſuam humiditatem vaporoſam, *Panis calidus nocius.*

estq; velocis digestionis, & tardi descensus. Qui licet in victus salubris ratione non cõueniat, vt alimentum, odore tamen plurimum confert, resuscitat enim syncope correptos. Fieri etiam potest vt homines aliqui solo panis calidi odore vitam prorogent, quod Democritum fecisse autor est Laërtius. Secundum, ne edamus panem vetustate induratum, siue mucidum, talis enim pro nutrimento naturæ humanæ non congruit, quia exiccat corpus, & humores melancholicos generat.

Panis odor.

Sequuntur deinde quinque conditiones panis electi, quarum prima est, vt sit bene fermentatus. Gal. 1. alimento. cap. 2. Panes, inquit, ad concoctionem appositißimi sunt, qui plurimùm fermentati, & probè elaborati, in clibano, igne moderato percoquuntur. Atque qui fermento caret, nemini prorsus is erit accommodus: Huic adstipulatur Auicen. 2. Canon. cap. 572. Panis habens parum fermenti, plurimi est nutrimenti, sed eius nutrimentum oppilat, nisi illos qui sunt plurimi exercitii.

Panis electio.

Secunda est, vt sit oculatus, id est, porosus, per hoc enim dignoscitur viscositatem eius esse ablatam. Veruntamen iste panis secundum Auic. velocis est penetrationis,

& minoris nutrimenti & deterioris: sicut est panis αὐτόπυρος, qui est plurimi furfuris.

Tertia est, vt sit bene coctus, quia panis malè coctus tardè concoquitur, & stomachum grauat. Auic. loco citato. Et ille qui non bene decoquitur, est plurimi nutrimenti, sed eius nutrimentum oppilat, nisi illos qui sunt plurimi exercitii. Et panis de patella est huius generis, eius nanque pars interior verò decoquitur bene.

Quarta est, vt sit temperatè salitus: dulcior enim oppilat, salsus excitat. Moderatè tamen salsus, optimum nutrimentum præbet, si cæteræ conditiones pariter adsint.

Quinta, vt sit confectus ex optimis granis, laudatißimo tritico. Tertio demum loco vetatur vsus crustæ panis, vt quæ choleram adustam, & humores melancholicos pariat, quatenus ipsa adusta & sicca est, & humor etiam inde genitus, adustus erit & siccus. Quare nobiles, qui natura cholerici sunt, curant sibi auferri à pane superiorem & inferiorem crustam, quos imitantur prælati & deliciosi. Eligenda igitur mica panis, melioris, valentioris, & velocioris nutrimenti, quàm crusta.

Decrustatio.

Crusta tamen aliquando conuenit sanis,

Crustæ panis.

nis, habentibus stomachum humidum, & volentibus emacerari, idq; sumpto cibo. Cibi enim descensum promouet, & confortat orificiũ stomachi. Duobus vltimis versibus innuitur, vt panis laudatissimus habeat has quinque conditiones, vt sit salitus, fermentatus, bene coctus, purus, & sanus, id est, de granis validis, & sana messe collectis. Et has conditiones habet Auicenna loco citato. Oportet, inquit, vt sit panis mũdus, salitus, massam habens confectã, fermentatus, coctus bene, & vna nocte permanens. Additio, Sciendum præterea, panem ex farina cribro secreta, & à furfure repurgata maius & purius præstare alimentum: furfuraceum verò, id est, cui furfuris nonnihil commixtum est, infirmum quidem præstare alimentum, sed facilius per intestina descẽdere. Galen. lib. 1. cap. 2. de alim. facul.

DE CARNIBVS PORCINIS. CAP. XXV.

EST caro porcina sine vino peior ouina.
Si tribuis vina, tunc est cibus & medicina.

Hic

Hic fit comparatio quædam inter carnem porcinam & ouillam, nimirum, quòd porcina, si citra vinum sumatur, ouilla sit insalubrior. Attamē si vinum adiungatur, suprà quàm quòd valentissimè nutrit, habet & facultatem ceu medicamenti, humectando enim corpus alterat, id quod de porcellis assis in primis, & apris quàm optimè præparatis intelligendum. Carnes verò porcinæ, quibus rustici & plebeii vtuntur sale conditæ, siue sole siue fumo exiccētur, ouillis nihilo meliores sunt, neque cum vino. Et hoc veritatem habet in carnibus porcellorum assatorum, siue carnibus aprugnis, vt dictum est.

Ilia porcorum bona sunt, mala sunt reliquorum.

Hoc versiculo conferuntur omasa, id est, intestina pinguiora porcorum cum reliquorum animalium omasis: & quantum ad victus rationem attinet, reliquis suilla præstant. Nullorum enim animalium intestinis vtimur, nisi sanguine refertorū & pinguiū, cuiusmodi sunt porci. Sanguis nāque suillus solus humidus est, & minus calidus, humanæ maximè tēperiei similis. Siquidē & carnes suum humanis sunt similes: quo

quidem

quidem ſanguine inteſtina implentur. Porci etiam facilius quàm aliquid aliorũ brutorum ſaginantur ſiue impinguãtur, quare inteſtinis eorum libentius vtimur.

DE MVSTO. CAP. XXVI.

IMpedit vrinam muſtum, ſoluit citò ventrem.
Hepatis emphraxin, ſplenis generat lapidémque.

Muſti nocumenta.

Hîc quinque referuntur nocumenta ex potione vini recentis, ſiue muſti. Primum, quòd vrinam impediat, ídque dupliciter: vel enim propter craßitiem ſuam ex fece cõmixta hepar ſiue renes oppilat, & vrinæ meatus occludit, vel reddendæ vrinæ conſuetum morem & ordinem immutat, vt muſtum Rhenenſe, & alia quædam ſubtiliora. Horum enim feces terreæ ſunt & nitroſæ, ac proinde cùm in veſicam deſcenderint, ipſam mordicãtes inordinatè, ac præter morem conſuetum meiere cogunt. Secundum, quòd aluum facilè & citò ſoluat. Viſcera enim & inteſtina nitroſitate ſua & fecis ſalſedine abſtergens ad deiectionẽ & expulſionem excitat. Primò quidem,

ob fecis acrimoniam: dein flatuũ, quos progignit, multitudinem: tertiò verò ob lubricitatem per intestina, in inferiorem ventriculi meatum, quem πυλωρόν Græci, Latini portonarinm vocant, facillimè descendens, stomachum relaxat. Tertium, quòd complexioni & temperaturæ hepatis officiat. Hepar enim ob plurimã fecis commixtionẽ oppilat, & flatuum multitudine debilitat, dysenteriam hepaticam inducendo, teste Auicen. 3. 1. Doct. 2. cap. 8. Eodem modo καχεξίαν, & paruas hepatis ægritudines parit, diuersas nimirum hydropisis species. Quartum, quòd spleni & tẽperaturæ eius, eodẽ ferè modo, quo hepati, nocumẽtum inferat, oppilando scilicet, & indurando. Quintum, quòd calculum generet, & maximè in renibus (qui quidem colore ruber est, & friabilis) propter oppilationem, quã ex substantiæ suæ craßitie facit. Et hoc virtutem habet in musto dulcioris vini, cui nõ sunt admixtæ nitrosæ, & mordicãtes feces. Mustum enim cui illæ admixtæ sunt, lapidis generationem perturbat. Quippe quòd vrinam vehementius ciet, cuiusmodi nonnulla sunt ex Rhenensibus, quæ arenulas per vrinam secum agunt, tum frequentius etiam ad mingendum impellunt. Frequens enim

miction motu suo adhærentes arenulas abstergit & aufert.

DE POTV AQVAE. CAP. XXVII.

POtus aquæ sumptus comedenti incõmoda præstat.
Hinc friget stomachus, crudus & inde cibus.

Aquæ potus noxius.

Hîc traduntur duo nocumenta ex potu aquæ inter edendum. Primum, quòd noceat stomacho: ipsum enim infrigidat & relaxat, & maximè omnium cibi appetentiam deiicit: Secundum, quòd impediat digestionem. Cibum nanque sumptum crudum reddit Auicenna 3.1. Doctr. cap. 7. Neque, inquit, post ipsum (scilicet cibum) multa bibenda est aqua, quæ inter ipsum, scilicet cibũ & stomachi corpus, separationem faciat, & ipsum natare. Ibidem cap. 8. inquit: Et cùm natura in digerendo studeat satietati aquæ iam præcedente sufficienter, id est, Si præcesserit satietas aquæ sufficiens ad bonam cibi permixtionem, aqua est vehemẽter impediens, scilicet digestionem inchoatam. Idem 2. parte Canticorum, Nu-

mero

mero 29. & 30. *Est etiam, inquit, vitandus potus aquæ in mensa, nisi ratione adhærentiæ, & tardioris descensus buccellæ. Nō est enim sumenda aqua cum cibo. Auerroes in comm. Causa quidem huius est, quoniā cùm sumitur super cibum priusquam stomachus calfecerit ipsum, infrigidat & incrudat. Est etiam causa, cur sumptus cibus stomacho innatet, nec eidem adhæreat, neque vniatur, vt conterat ipsum sicuti par est. Actio nanque stomachi in sumptum cibum fit conterendo simul & coquendo. Vnde quemadmodum si in ollam iam ebullientem multum aquæ simul infundatur, decoctio cibi tardius perficitur, Ita & in stomacho contingere solet. Parua tamen frigidæ aquæ quantitas sugendo sumpta conceditur, vt per eā cibi ad inferiora descendant, & hoc si sitis etiam infestauerit, bibereque cōgat, Nam parua quantitas aquæ frigidæ, hoc modo sumpta, stomachum alleuiat, & colligit. Alleuiat quidem à siti, & cooperando in descensum cibi. Colligit verò frigiditate sua coadunans partes stomachi. Et hoc colligitur ex Auic. locis citatis.*

Notādum quòd in sitis extinctione, magis conueniat aquæ quàm vini potus, vinū tamen, pro valetudine conseruanda sit præferendum. *Aqua sitis extinguenda.*

ferendum. Dato enim & concesso, quòd in sitis repreßione (quæ est appetitus frigidi, & humidi) aqua in vniuersum melior sit, quia frigida & humida: naturaliter tamẽ, in cibi permixtione, & delatione ad corporis partes extimas, vinum aquæ præualet. Vinũ enim subtilitatis suæ ratione, in substantia & actione, subtilibus cibis permiscetur: quia natura eo magis delectatur, ipsúmque citius attrahit, & aliis cibis permiscet, & maximé, quòd hæc mixtio fiat per modum quendam ebullitionis, quam vinum magis iuuat, ratione virtualis caliditatis, & aqua impedit, propter frigiditatem. Et si patet, vinum aquæ in ciborũ permixtione præualere, & in eorundem delatione. Nam vinum ob substantiæ suæ subtilitatem & caliditatem virtualem optimè pẽnetrat. Subtilia enim & calida facilè penetrant, & per consequens, vinum magis defert quàm aqua, cui nihil est virtualiter calidum, neque substantiæ aeriæ, neque igneæ, vnde aqua tardè transeundo, impedit omnem cursum.

Alio item modo, aqua quàm vinum potui ineptior est, impedit enim alimenti nutritionem, eò quòd ipsa non nutriat, vnde quantò cibus magis aqueus est, tãtò minus nutrit.

nutrit. Melius igitur vinum cum cibo permiſcetur, quòd non ſolùm non impedit nutritionem, verumetiam multum iuuat, maximè ſiquidem & velociſſimè nutrit, & inſtaurat, vt dictum eſt ſuprà. Inſuper notandum, aquæ potum edenti non ſolùm nocere, ſed etiã pluribus aliis, vt refert Auicen. 3.1. Doctr.2. cap. 8. Primò enim nocet homini ieiuno, ita enim penetrat aqua ſumpta nullo retinaculo impedita, vſque ad intima membrorum principalium, extinguẽs calorem innatum. Et hoc verum eſt in homine verè ieiuno. Ebrio enim quandoque confert, neque ipſe inde læſionem ſentit, ſi ieiunus aquam bibat, quia ieiunus ebrius non eſt prorſus ieiunus, neque ſtomacho vacuus, ſed habet reliquias aliquas heſternæ crapulæ, quarum nitroſitas per aquam mitigatur, & ita ſtomachus abluitur, & repreſſis vaporibus ac fumis reparatur receptioni noui nutrimenti. Secundò, homini exercitato exercitio forti nocet, & ſimiliter ſtatim à coitu, nam tum corporis pori aperti ſunt, quare penetrat aqua in profũda membrorum, extinguens calorem innatum, qui & poſt coitũ debilitatus eſt. Tertiò, nocet ſtatim à balneo, & maximè ſi hoc fiat ſtomacho vacuo, tum enim viæ ve-

Aqua crapulæ confert.

A coitu & exercitio.

A balneo.

m hementer

hementer apertæ sunt, quare lædens aqua penetrat, vt dictum est. De hoc ita dicit Auic.6. 4. Summa 1. cap.11. Ex potu illius in ieiunio, & post balneum, & post coitum timetur corruptio complexionis & hydropisis. Quartò, nocet bibere aquam frigidã causa obediendi siti nocturnæ mendosæ, quæ accidit crapulantibus & ebriis. Nam per potum aquæ frigidæ prohibetur absolutio & digestio humoris salsi, vel fortis vini, vel alterius acuti, causantis sitim, & sic citò reuertitur sitis aquæ vehemens, vt antè. Sed si vehementior adfuerit sitis, nimium vexans & inquietãs, neque sufficiat aeris inspirati frigiditas, nec ablutio oris cum aqua frigida, bibat sitibundus aquam frigidam ex vase stricti orificii siue gracilis colli, quò diutius permeet & ad orificiũ stomachi, & fortius sitim mitiget, ac de ea mĩnus sumatur, ne digerendorum concoctionẽ penitus impediat.

Sitis nocturna.

Quinto, in genere malum est sanis, bibere multam aquam frigidam, extinguit enim calorem innatum, pectus offendit, stomachi appetitum deiicit, & mẽbris omnibus neruosis nocet, teste Hip. lib. 15. Aphor. 18. & 24. Veruntamen aqua temperatè frigida aliquando per accidens appetitum

titum

titum excitat, & stomachũ confortat, ipsum coadunando, & stringendo villos eius.

DE CARNIBVS VITVlinis. CAP. XXVIII.

Sunt nutritiuæ multum carnes vitulinæ.

Hîc *laudantur carnes vitulinæ, eò quòd plurimum nutrimenti præbeant. Id quod testatur* Auicenna 3.1. Doctr.2. *cap.* 7. *vbi præcipit vt cibus sanitatis conseruatiuus sit, quales sunt carnes, quia sunt similis naturæ & aptæ vt in sanguinem conuertantur, vt propriè carnes hædorum & vitulorum paruorum lactentium, & agnorum vnius anni.* Galen. *item* 3. *alimen. facul. mirè extollit carnes vituli lactentis, sex vel octo hebdomadarum, assatas, vt saluberrimas, quæ multum nutriant, & facilè concoquantur.*

DE AVIBVS ESVI aptis. Cap. XXIX.

SVnt bona gallina, & capo, tur tur, sturna, columba.

Quiſcula, Phaſiades, merulæ, ſimul Ortygometra.
Perdix, frigellúſque, orex, tremulúſque, amarellus.

Hoc loco ſit enumeratio carnium ex auibus pro nutrimento humanæ naturæ conuenientiorum: & ſunt 14. *Prima eſt, gal-*

Gallina. *lina: cuius eſus naturæ humanæ conuenit. Haly enim, Auenzoar, Auerrois, & Meſue, teſte Cõciliatore, differ.* 68. *præ cæteris laudant pullorum carnes, & maximè gallinæ quæ nondum peperit, & galli venerem nõdum experti. Facilè enim in ſanguinem vertuntur, & parum excrementoſæ ſunt, proprietatem mirabilem habent in temperando complexionem & humores. Iuſculũ harũ optima leproſis eſt medicina: Et Auicenna* 2. *Canon. cap.* 296. *Caro, inquit, gallinarum iuuenum in intellectu augmentum efficit, clarificat vocem, & augmentat ſperma. Et melior eſt, quæ nondum parit oua.*

Capo. *Secunda, Capo, ſiue gallus caſtratus, cuius carnes Conciliator loco citato recenſet inter carnes laudabiliores, vt quas ſtomachus*

Turtur. *à proprietate digerat. Tertia, turtur, quæ etiam inter aues boni alimenti refertur, bonúmque generat humorem. Cuius carnem*

mirè laudat Auicenna 2. Canon.cap. 146. Volucris quidem, inquit, caro melior non est, quàm Alduragi, id est, turturis, & gallinarum, & subtilior earum, & non sunt cum nutrimento carnium Aculbegi, id est, perdicum, &c. Quarta, vt quibusdã placet, est Sturnus, quæ comedenda est in iuuẽtute, Est auis nota, gallicè vn Estourneau. Secũdum verò alios est starna, quam Rhazes 3. ad Mansorem cap. 10. præ cæteris volatilibus commendans dicit: Starnæ caro omni carne auium leuior inuenitur, atque his, qui subtili volunt custodiri regimine, conuenientior. Per Starnam quoque intelligi potest, vel auis magna, velut anser cinerei coloris, cuius caro laudabilis est, maximè cũ iuuenis fuerit, & ita intelligit Rhazes, præferens hãc aliis. Vel per Starnã intelligitur substãtia seu forma perdicis paruæ, quã Moyses intellexisse videtur, ad Iudæos hoc modo verba faciẽs: Similiter Starnæ nõ videtur pro domino nostro, quia ventrẽ constringunt. Et hanc proprietatem, alii perdicibus adscribunt, carnes enim earum ventrem constringunt, teste Rhaze 3. ad Mansorem, capit. 10. Quinta columba, auis vulgò nota, cuius caro est cholerica, de qua Rhazes loco citato. Columbæ, in-

Sturnus.

Colũbæ.

quit, vehementis sunt caliditatis, quæ & sanguinem inflammatum generant, & citò febrire faciunt. Quare aptius comeduntur in pastillis cum vuis acerbis, quàm assatæ. Per vuas enim acerbas aufertur caliditas. Electiores porrò sunt iuuenes volucres, & leuioris digestionis, ac melioris humoris. Pulli enim inuolucres, caliditate & humiditate abundant, quare crassos generant humores, teste 2. Canon. cap. 133. Antiquæ verò columbæ & turtures, propter nimiam caliditatem & siccitatē, & digestionis difficultatem, sunt euitandæ. Sexta, Quiscula siue coturnix. Est autē quiscula fictum à sono, Cuius caro secundum aliquos substātiæ subtilis, bonum generans humorem, & multum competens sanis, & à morbo cōualescentibus. Secundum Isaac verò coturnices cæteris volatilibus peiores sunt, nec nutrimento, neque digestioni commendabiles: Ex comestione enim carnis earum timetur spasmus & tetanus, inquit Auicenna. 2. Canon. cap. 154. Quia enim in substantia earum est virtus quæ facit huiusmodi accidētia, eò quòd coturnices vescantur Helleboro. Hinc & Galli comedunt coturnices cū molli & pingui caseo, inde pastilla facientes. Potest tamen per coturnicem etiam intelligi

La Caille.

Coturnix siue quiscula.

telligi auis quædam alia à prædicta, perdice maior, eiusdem ferè coloris, rubeis pedibus & rostro, saporis delectabilis, dicta coturnix lingua Italica, Quomodo & Rhazes 3. ad Mansorem capite 10. coturnicem accepisse videtur, præferendo carnes eius carnibus starnæ, & omnium volatilium. Septima, Phasianus, id est, gallus syluestris, qui ab omnibus medicis inter aues optimi nutrimenti refertur. Caro enim eius naturæ humanæ est conuenientißima, & cibi principum & magnatum. Conciliator enim loco citato, dicit: Syluestrium quoque laudabiliores sunt phasiani, & ad sanitatem & robur. Et fortaßis etiam in vniuersum domesticis, cùm sint gallinis propinquißimi, & eiusdem ferè speciei, sintq; illis siccioris aeris, & alimẽti, ac exercitii amplioris. Octaua, Merula, eiusdem quantitatis cum starno, sed magis ad nigredinem tendit, rostrũ habet subrubeum, quæ & ipsa comedẽda est iuuenis. Nona, Ortygometra, auis parua ad modum perdicis, longi rostri, cuius caro est optima. Decima, Perdix, cuius caro, autore Auicẽna 2. Canon cap. 186. est de subtilioribus carnibus, impinguãs, quia multum nutrit, cor abstergit, hydropisi & stomacho confert, augmẽtum in coitu facit,

Phasianus.

Merula.

Ortygometra. Le Râle

Perdix.

attamen vētrem stringit. Galenus quoque 3. de aliment facultat. capite decimo. Et 8. Medendi Methodi, capite scundo. Hanc omnibus aliis volatilium carnibus præfert. De qua si aßiduè comedatur, maximè confert memoriæ. Vndecima, Frigellus, vulgò ein Vveintrostel, auis quæ racemis vescitur, velociter volat, similis est sturno, sed melior s alimenti. Multi inueniuntur in vineis, inebrianturq; ex esu racemorum, optima est caro earum circa festum Omnium sanctorum. Duodecima, Orex, quæ secundum quosdam est gallina syluestris, siue gallina Phasiani. Secūdum alios verò, gallina aquatica. Et siue sit fœmina Phasiani, siue gallina aquatica, Caro eius bonum nutrimentum præstat. Decimatertia, Tremulus, auis quæ ferè semper iuxta mare versatur, minor gallina, fusca, altè vociferans, velocißimi volatus, quando pedib. incedit, caudam aßiduè quatit, vnde tremulus dicitur, in capite suo longas plumas, siue cristas habet, nec est parua illa auicula, longæ caudæ, quæ vulgò Cauda tremula, & Motacilla dicitur. Vltima, Amarellus, auis aquatica similis anati, sed minor. Illud porrò nosse oportet, alimentum laudabilius ex auibus earum esse, quæ volatu magis nituntur

Frigellus. Le pinson.

Orex.

Tremulus. hochequeue.

Amarellus.

tuntur

guntur, celeriúſque volant. Et quēadmodum carnes dictarum auium commendabilis ſunt nutrimenti, & facilis digeſtionis, ita contrà reperiuntur carnes quarundam auium alimenti improbabilis, difficilis digeſtionis, & inæqualis complexionis, velut Anſerum, Pauonum, & Malardorum, & præcipuè habentiū collum & roſtrum oblōgum, degentium in aquis, & paſſerum. Hi enim calidiſsimi ſunt, & à temperamento longiſsimè recedunt, venerémque vehementer ſtimulant. Circa electionem autem carnis volatilium, ſciēdum eſt ſecundum diuerſas laudabilioris nutrimenti proprietates, ac eius, quod nutritur ſanitatis vel roboris intentionem, carnes variè laudari. Galenus enim reſpiciens ad facilem alteratione̅ & ſubtilitatem, perdices prætulit. Rhazes verò & Iſaac, ob leuitatem & ſubtilitate̅, ſtarnam. Iſaac etiam diuerſa ratione carnes volatilium laudauit diuerſas. Auicēna laudauit carnes Turturū præ cæteris, quòd corroborent & confortēt intellectū. Auium porrò omniū genus leuiſsimū cibū præſtat, ſi ad quadrupedes cōferatur: quare iis qui corporis neglecto exercitio, conſiliis potiſsimū, & ſtudiis, & contēplationi intendunt, conueniens eſt, Iuxta hanc Galeni ſententiam

tiam 3. de aliment. facult. cap. 18. Earum, inquit, quæ volatu fidunt, caro ob facilem concoctionem præcipuam laudem meretur, maximéque perdicis. generat enim sanguinem clarum, mundum, spirituosum, mentis exercitiis & intellectui aptum.

DE PISCIBVS.
Caput XXX.

SI pisces molles sunt, magno corpore tolles,
Si pisces duri, parui sunt plus valituri.

Hîc ponuntur duo accidentia, vnde habetur electio piscium. Pisces enim aut duri erunt, aut molles: si molles, vetuli nouellis erũt meliores: quia mollities prouenit ex humiditate, quæ in nouello pisce indigesta est, in vetulo verò digestibilior. Quare nouelli pisces magis phlegmata generãt, quàm vetuli. Et sic patet anguillam vetulam saniorem esse nouella, vt quibusdam placet. Si verò dura carne conditi fuerint, iuuenes erunt saniores, id est, digestibiliores, cuiusmodi sunt Lucii & Percæ, durities enim resistit digestioni. Auicen. est hæc sententia, 2.

Canon.cap.555. Eligitur quidem, inquit, ex piscibus duram carnem habentibus ille, qui est minor: Et ex habētibus mollem carnem, ille, qui est maior ad terminum aliquem.

Lucius, & perca, & saxaulis, & Albica, Tancha,
Sornus, plagitia, & cum carpa, galbio, truta.

Hîc 10. *recensentur pisces naturæ humanæ pro alimento conuenientes. Primus est Lucius, piscis notus, tyrannus piscium, quia non solùm deuorat pisces alterius, sed etiam suæ speciei, vnde versus:* Lucius.

Lucius est piscis rex, atque tyrannus aquarum.

Est piscis duræ carnis, natatu velox, gallicè, vn brochet, *teutonicè* ein Hecht. *Secundus, Perca, per antiphrasin à parcēdo, quòd nulli piscium parcat, iratus enim vulnerat alios pisces squamis suis, quas habet supra dorsum, nec audet eū inuadere Lucius, imò, vt narrat Albertus, naturalis amicitia est Percæ cū Lucio. Lucius enim læsus ab alio difficulter sanatur, quare quærit Percam, qui videns eum læsum, tangit, & lenit vulnus eius, & sic sanatur: est quoque Perca similiter piscis duræ carnis, notus, gallicè,* vne perche. Perca.

Saxaulus. perche, *teutonicè*, ein Bersick. *Tertius est Saxaulus, piscis marin⁹, Gallis* Sole *dictus. Aliis tamen placet esse piscem, qui teutonicè dicatur*, ein Zunge. *Estq; hic inter pisces*

Albica. *marinos saluberrimus. Quartus, Albica,*

Tencha. *teutonicè* Fitting, *qui & ipse marinus est. Quintus, Tencha, piscis aquæ dulcis, notus, pelle lubrica atque viscosa, ad nigredinem tendente, Carne dura: Vnde ab his tribus, Lucio scilicet, Perca, & Tēcha, post coctionem pellis aufertur. Dicitur hic autē piscis gallicè* vne tenche, *teutonicè* ein Tinche,

Sornus. oder Schleihe. *Sextus, Sornus, Est piscis marinus minimus, albus, medii digiti longitudinem non excedens, comeditur vnà cùm capite & spinis. Teutonicè dicitur* ein Gra

Plagitia. nart. *Septimus est Plagitia piscis marinus, notus, latus, in vna parte suæ pellis rubris maculis conspersus, pelle tota albus, curuo ore, aliâs & Pecten dicitur, gallicè* vn petoncle, *Teutonicè* ein Platteisz, oder

Carpa. Scholle. *Octauus, Carpa, siue Carpio, piscis dulcis aquæ, notus, admodum viscosus: quare à magnatibus in vino decoquitur, ita enim tollitur viscositas eius gallicè* vne car

Galbio. pe, *Teutonicè*, ein Carpffen. *Nonus, Galbio, piscis marinus, notus, à quibusdam dictus Rogetus, gallicè*, vn rouget barbu.

Teu-

Teutonicè, ein Rodtbart, & est piscis duræ carnis, ac sanus. Alii textus habent Gobio, de quo Galen. lib. 3. de alim. facult. Gobio, inquit littoralis est piscis, ex eorum numero, qui parui perpetuò manent. Suauissimus ac concoctu facillimus, simúlque ad distributionem & succi bonitatem, optimè cõparatus. Gallicè Gouion, Teutonicè, ein Kresz oder Kreszlin. Vltimus est Truta, in carne similis Salmoni, nec tamen Salmo est, longus quidem est, sed non crassus. Capitur in magnis fluuiis, fricando ferè, hinc fiũt pastilla cũ speciebus, & est piscis valde preciosus, Gallis Trutes, German. ein Forel. Truta.

Circa electionem verò piscium sciendũ, primò, carniũ respectu (cæteris paribus) minoris esse nutrimenti, sed plurium superfluitatum. Phlegmatici enim sunt, id est, frigidi & humidi, minúsque fastidiosi, concoctu difficiles, tardi transitus, quare in stomacho interdum corrumpuntur, & putrescunt, sitim generando. Carnium itaque laudabilium nutrimentum, piscium nutrimento præstat. Secundò verò, pisces marinos meliores esse, victus salubris ratione (cæteris paribus) piscibus aquæ dulcis. Præstant enim nutrimentum minoris superfluitatis, & naturæ carnium propinquius. Sed quia (cæteris paribus) Piscium electio.

ribus) pisces marini sunt carnis durioris quàm aquæ dulcis, difficilius etiã digerũtur, ac resoluũtur, magisque nutriunt, & sanguinem purum procreant. Aegris tamen magis conferunt pisces aquæ dulcis ob digestiuæ virtutis debilitatem. Tertiò sciendum, ex piscibus tam marinis quàm aquæ dulcis eligendos esse, quorum caro sit alba, non viscosa, fragilis, subtilis, boni odoris, tardæ putrefactionis, coloris laudabilis, quorum habitatio non sit in lacubus, stagnis, aut locis sordidis, nec in aquis habentibus malas herbas. Eligendi autem, non ad modum iuuenes, neque prægrandes, sed velocis motus, & paucæ viscositatis. Ex marinis eligendi sunt, capti in fluminibus multum à mari distantibus idque cæteris conditionibus bonis suppositis.

Item suppositis prædictis conditionibus quantò pisces sunt squamosiores, tantò & meliores. Idem intelligitur de spinis, quia multæ spinæ & squamæ significant puritatem substantiæ piscis. Inter pisces etiam marinos, meliores & puriores sunt, nutriti & capti in mari profundiori, vẽtorumq; æstu magis agitato, ac magnis multisq; fluminibus adulterato. Vnde in mari Septẽtrionali capti, præstant iis, qui capiuntur in mari

Squamosi meliores.

mor-

mortuo seu meridionali. Pisces quoq; aquæ dulcis, meliores sunt qui in rapida ac multifluа aqua fatigantur. Ex quibus iam dictis colligitur, qui piscium probi malíue censeri debeant. Bestiales enim vt Porcus & Canis marinus, Delphin, & Morpha, insuaues sunt, cōcoctu difficiles, craßi & salsi humoris, plurimi excrementi, maximéque recẽtes, ad vsum victus salubrem inepti, nec apparent in carne eorum, prædictorum pisciũ conditiones, albedo scilicet, & subtilitas, &c. Quos tamen si contingat esse, non ilico à captu coquendi sunt, sed per dies aliquot seruandi, dum caro mollescat, & citra substantiæ corruptionem intremiscat. Id quod fieri solet, si leuiter sale conspergãtur. Quomodo & sapidiores euadere Gale. autor est. Inter pisces marinos, Rogetus, et Gornatus, siue Gornus, non improbantur. Nam caro eorũ & substantia purißima est. Deinde Plagitia, & Sola, quorum tamen caro viscosior est, minúsque frangibilis, ac minus alba, & craßior: sapore quidem & odore minus delectabiles. Merlengo tamen fortè secũdus debetur locus post Rogetum. Nõ est enim tãtæ craßitiei, & viscositatis, vt Plagitia & Sola, substantia est satis frangibili, sed consideratis sapore, odore, calore, substan-

substantiæ puritate, & mollitie, deficere nõnihil deprehenditur in bonitate à Rogero & Gornato. Idem intelligendũ de Halece. Morpha iuuenis satis in bonitate prædictis appropinquat, consideratis tamen conditionibus prædictis, est craßior & viscosior.

Salmo. Salmones autem, Turboti & Maquerelli, multum deficiunt in bonitate. Sunt enim multò craßiores, viscosiores, & difficilioris concoctionis, nec competunt, nisi exercitantibus, fortibus, & iuuenibus, idque si quid salsedinis eis commisceatur, quò viscositas, craßities, & frigiditas eorum corrigantur. Inter pisces autem dulcis aquæ, consideratis prædictis conditionibus, Perca & Lucius mediocris primum bonitatis gradum obtinent, supposito, quòd sint pingues, deinde Ventosia, hinc Lopia. Et quamuis Carpa prædictis sit squamosior, carnem tamen habet non tam albam, frangibilem & subtilem, vt Lucius & Perca: sæpiúsque in stagnis reperitur.

Fluuiatiles. In summa tamen (si cætera pariter adsint) meliores censentur pisces fluuiatiles, capti in aqua petrosa, fluente versus septẽtrionem, profunda, multæ agitationis, quò non confluant sordes ciuitatum, in qua etiã herbarum ac radicum copia suppetat. Cancri

cri autem fluuiatiles & marini multi sunt nutrimenti, non facilè in stomacho corrũpuntur, sed tardius digeruntur.

Sciendum insuper, pisces recentes corpus humectare, lac & sperma multiplicare, valdéque conferre cholericis. Non sunt autem comedendi pisces à forti exercitio, siue labore, nam ita facillimè in stomacho corrumpuntur. Caueant item sibi ab esu piscium, quibus stomachus debilis sit, & malis humoribus plenus. Nec comedendi sunt pisces simul cum carnibus & lacticiniis, neque post alios cibos. Postremò verò sciendum pisces crassos, salsos, meliores esse quàm recentes, attamen longo tempore salsi, praui sunt alimenti. Pisces etiam laudabiles, leuiter salsi, ac modicè sumpti, appetitum, si quis eos expetat, reuocant & corroborant. Pisces qui & quibus cõducant.

DE ANGVILLA. Cap. XXXI.

VOcibus anguillæ prauę sunt si comedantur.
Qui Physicen non ignorant, hæc testificantur.

Ni tu sæpe bibas, & rebibendo bibas.

Hîc traditur anguillam plurimum nocere vocibus, & hoc probatur rationibus medicis & Philosophicis. Anguilla enim piscis est crassi, & lenti succi, maximè oppilans, multúmque à conditionibus probi piscis, præcedēte capite relatis, deficiēs. Quod etiam intelligēdum est de Lampetra, Licet Lampetræ paruæ anguillis laudabiliores censeantur, & minus periculosæ. Non enim habent tantùm viscositatis & crassitiei, quantum anguillæ. Hi pisces licet ori non ingratum saporem offerant, admodum periculosi sunt. Generatio enim eorū in aqua similis est generationi serpentum in terra, non sine veneni suspicione. Vnde & Varroni nomen habent, quòd anguibus adsimilentur. Quare eorum capita, & caudæ, in quibus venenum esset, ac similiter interior spina, nullo modo edenda sunt. Bonum est etiam, vt propter viscositatem vino optimo immersi, in eo ludant, donec moriantur. Ac deinde præparentur cum iusculo optimarū specierum, vt solent Apitianæ scholæ sectatores. Conuenit etiam vt ebulliant, primò duabus ebullitionibus in vino & aqua

Anguilla.

Lāpetra.

Coctio.

qua, & illis abiectis, decoquantur, deinde ad perfectionem, & fiat iusculum, vel pastillatura, vel assatura, cum salsamento conuenienti, cum salsa scilicet viridi, fortibus speciebus & vino in hyeme: cum debilibus speciebus, agresta & aceto, in æstate. Commodius tamen ab esu huiusmodi piscium abstinetur. Stomacho enim & renibus sunt inimici, sed præcipuum sentiunt nocumentum ex eorum obsoniis, qui arenulas mingere consueuerunt, quoniam illæ anguillari glutino in calculos cogi & astringi videantur. Podagra quoque laborantibus manifestè officiunt, nec vllis morbis medentur, sic vt iniquè natura fecisse videatur, quæ tam suauem refutandis exspuendisque piscibus indiderit saporem.

Calculosis obsunt.

Podagricis.

Medici omni ex loco, omníque tempore, & præsertim circa solstitium, anguillas detestantur.

Secundo loco dicitur caseum & anguillam, si comedantur, plurimum nocere, quod intelligendum est, si magna quantitate sumantur, causæ partim dictæ sunt cap. 7. & partim hoc ca. Postremò dicitur, si prædicta cum frequenti potatione vini sumantur, malitiam eorum corrigi. Quod tamen non est intelligendum de vino subtili &

penetrante, quia super cibum mali chymi bibere vinum dum comeditur, aut antè, aut pòst quàm digeritur, est malum, vt testatur Auic.3.1.doc.2. cap.8. Quoniam facit malum chymum in extrema corporis penetrare, vnde maximum sequitur nocumentum. Sed intelligendum est de vino forti, nō admodum penetrante, sæpe & parua quantitate sumpto, causa bonæ permixtionis ciborum, hoc enim corrigit malitiam eorum, cōfortat digestionem, digerit humores phlegmaticos & frigidos, quare multum facit ad digestionem casei & anguillæ.

DE CIBI ET POTVS *alternatione.* Cap. XXXII.

INter prandendum, sit sæpe, parúmque bibendum.
Si sumas ouum, molle sit atque nouum.

Hìc *duo habentur præcepta*, Primum *est de alternatione cibi & potus, vt scilicet inter prandendum, siue cœnandum, alternatim comedatur & bibatur, sæpius potius quàm multum bibendo minimé; bruta animantia imitando, quæ tum demum*

bibunt,

bibant, cũ cibo exaturata fuerint. Ita enim potus melius cibo permiſcetur, & cibus mollior ac digeſtioni habilior redditur. Vbi notandum triplicem eſſe potum, permixtiuum ſcilicet, delatiuum, & ſitis ſedatiuum. Dicta itaque de permixtiuo potu, habent veritatem. Huius enim debet eſſe quædam cum cibo alternatio. Nec eſt differendus (ſaluo tamen aliorum iudicio) ad finem comeſtionis, ſiue dũ ſitis vrgeat. Et maximè conuenit hunc frequentare, quando comeduntur cibi actu vel potentia calidi, ídque in iis, qui vehementius ſe exercent, panémque ſiccum edunt. Potus verò ſitis ſedatiuus in hominibus bonæ conſtitutionis conuenienter ad finẽ comeſtionis differtur, tũc enim eſt vera ſitis propter æſtuationem cibi calidi & ſicci. Nec enim veriſimile eſt, ſitim & famem, cùm ſint appetitus contrariorum, ſimul vrgere. Eſtq; hic potus iuxta ſitis exigentiam augendus, vel minuendus. Atqui delatiuus maximè cõuenit completa prima digeſtione, conuenientiſſimè etiam adhibetur paulò ante horam ſuſcipiendi alterius cibi. Et præcipuè cum cibi primò ſumpti craſſæ fuerint ſubſtantiæ, nec eſt differẽdus, donec ſitis oriatur. Præparat enim ſtomachum ad ſuſcipiendum cibum ſequentem

Potus triplex.

Permixtiuus.

Elatiuus.

quentē, & iuuat trāsitū cibi ad hepar à stomacho: neq; tamen sumendus est in magna quantitate, vt citò posit digeri. Nam ante digestionē nō transit ad hepar. Et hoc verū est, si potus delatiuus nō fuerit aqua, in qua nō est necesse expectare digestionē, ante penetrationē eius ad hepar. Regulariter autē potus delatiuus, vel etiam permixtiuus, nō debet esse aqua, sed vinū, vel aliquid vino proportionabile, vt cereuisia, vel potus ex cerasis, vel pomis, vel melicratū, aut simile quid, quibus tamē omnibus vinum est melius. Secundò sciendum est, quantò cibus est crassior, siccior, & frigidior, tantò potū permixtiuum & delatiuū maiorē esse debere: & cōtrà, quātò cibus est calidior, subtilior, & humidior, tantò potū delatiuum & permixtiuum minorē. Et quātò cibus crassior, frigidior, & digestioni inobedientior, tantò vinum permixtiuū, vel delatiuum subtilius & fortius. Et quantò cibus subtilior, calidior, & digestibilior, tātò potū esse debiliorem. Vnde fortius vinū, tam cum carnibus bouinis, quàm pullinis bibēdū est, & fortius bibendū est cum piscibus, quàm carnibus.

Oua. Secūdum praeceptum est, vt ouum edendum, sit molle & nouum, cuius ratio reddita est capite octauo.

DE

DE PISIS. Cap. XXXIII.

Deta Pisa leg.

PIſam laudandam delegimus ac reprobandam,
Pellibus ablatis, eſt bona piſa ſatis.
Sunt inflatiuæ cum pellibus atque nociuæ.

Hîc agitur de piſis, quæ partim laudantur, partim vituperantur. Laudantur quidẽ ablatis corticibus, vituperãtur verò ſi vnà cum corticibus & pellibus comedãtur. Hoc nanque modo comeſtæ, plurimum flatulenti ſpiritus pariunt, vt ineptiſsimum cenſeri iã poßit, ſi hoc modo edantur. Medullarũ enim & corticũ naturæ diſcordant. Alterum nãque ventris ſolutionem & deiectionẽ molitur: alterum obſtruit & conſtringit, vt teſtatur Iſaac in diætis vniuerſalibus. Vnde fit in corpore motus agitatiuus, inducẽs torturam & inflationem. Et hoc non piſis modò, verumetiam omnibus leguminibus commune eſt, vt fabis, phaſeolis, lentibus, & ſimilibus, præcipuè tamen habentibus corticem craßiorẽ, vt fabis, & ciceribus nigris. P. ſa.

Cortex etiam in omnibus est peioris nutrimenti quàm medulla. Est pisorum genus quoddam album, rotundum, paucioris & tenerioris corticis, quod tametsi citra noxā cum pellibus & corticibus edatur, præstat támen ab iisdem repurgari. Legumina viridia & recentia minus habent de cortice, & minor in eis diuersitas est inter corticem & medullam, & facilius digerūtur. Quare nonnullis placet ea magis conuenire sanis corporibus quàm matura & arefacta, sed non est ita, plurimarū enim sunt superfluitatum & substantiæ corruptibilioris, quare minus conueniunt corporibus sanis. Matura verò, arefacta, & à corticibus extimis expurgata, ad victus salubris rationē magis faciunt quàm recentia, nondum excorticata. Viridia autem arefactis non decorticatis salubriora inueniuntur.

Porrò, quum omnium leguminū substantia inflet, concoctioni repugnet, craßique & praui succi alimentum in corpus diffundat, non iniuria à victus salubris ratione eximitur. Iusculum tamen eorum siue decoctio eò quòd flatum cum omni & alimenti & concoctionis malitia deponat, ventrem subducat, vrinam cieat, venarum obstructiones tollat, non parum commoditatis in

victus

victus salubris ratione habere dignoscitur. Cuius proinde vsum frequentiorem esse conuenit, quando craßis ac obstruentibus cibis vtimur, & corpora ieiuniis adfligimus. Decoquuntur autem hoc modo: Pisa, Cicera, reliquáve legumina, sub noctem in aquam feruentem imittũtur, ac primò quidem manibus diutinè confricantur, deinde in eadem per totam noctem macerata tẽperantur: sequenti verò nocte duabus vel tribus ebullitionibus in eodem liquore decoquuntur. Ius decocti, colo transfunditur, & ad vsus reseruatur. De quo, vbi & quantũ libuerit, accipiendũ est, cúmq; Cinnamomo, & Croco denuò præparãdum, nonnihil vini addẽdo, ac deinde vnica ebullitione decoquendum, spumam auferendo, & sumatur in principio refectionis. Pisorum coctio.

Iusculum verò siue brodium, vt vocãt, cicerum & pisorum alborum, ac rotũdorum, optimum censetur, & naturæ cõuenientius, quemadmodum & tota eorum substantia.

DE LACTE.
Cap. XXXIIII.

LAc hecticis sanum caprinũ, pòst camelinum,

Ac

Ac nutritiuum plus omnibus est
asininum.
Plus nutritiuum vaccinum, sic &
ouinum.
Adsit si febris, caput & doleat,
fugiendum est.

Lactis electio. *Hic referũtur præcepta quædam de electione lactis. Primum est, lac caprinum, he- cticis, id est, consumptis & maceratis, vel febri hectica laborãtibus esse sanũ, id quod testatur Auicen. 2. Canon. cap. 444. Lac,* *Caprinũ.* *inquit, caprinum, & lac asininum sunt bona hecticæ. Et prima 4. tractat. 3. capit. 6. Ratio, quia lac caprinum, secundum Auicennam 2. Canon. cap. citato, temperatum est, & multi nutrimenti. Lac muliebre est* *Muliebre.* *subtilius, frigidius, humidius, & naturæ humanæ, vt dictum est, magis cognatũ, velocius penetrat, citius digeritur, & magis nutrit. Et lac huiusmodi hecticis exhibẽdum, mulgeri debet, quantum fieri potest, proximè lectum infirmi, vt quam minimo tẽpore in aëre moretur, sed sine mora administretur, propterea quòd celerrimè mutari sit aptum. Sciendũ lac tamen mulieris aut asinæ, non semper conuenire hecticis, imò ali-*

quãdo lac acidum, siue cui butyrum detractum est, iisdem vtilius est, quàm lac mulieris aut asinæ. Primò, quando cum hectica est solutio ventris. Deinde quando est suspicio de coagulatione lactis in stomacho, vel de ardore vehementis febris, vel quando stomachus per se cholericus est, vt lac in choleram conuertat. Tertiò, quando cum hectica coniunguntur putrida, & præcipué, cùm in inferioribus fuerint multæ oppilationes. Nam lac acidum restringit ventrem, nec facilè in choleram conuertitur, vt cui butyrum, per quod facilè inflammatur, exemptum sit, Nec in putrida febre eadem ratione facilè putrescit. Quartò, si stomachus fuerit sordidus, nam in hoc lac facillimè corrumpitur. Quintò, si hecticus abominetur lac dulce ac integrum, acidum verò siue à butyro seiunctum nõ exhorreat. Tertium est lac vaccinum & ouium magis nutrire, quia aliis pinguiora sunt, & crassiora, vt dicit Auicen. 2. Cano. cap. 444. Lac, inquit, omnis animalis, cuius prægnatio prolixior est prægnatione mulieris, est malum, quapropter proportionabile est illud, quod proximum est, sicut vaccinum. Rhazes verò 3. ad Mansorem, cap. 15. sic inquit: Vaccinum lac omni lacte cuiuslibet Vaccinũ.

alterius animalis crassius indicetur, quod etiam omnibus corporis pinguedinem adipisci volẽtibus conuenientius existit. Quartum est, lac nocere febricitantibus, & caput dolẽtibus, cuius causa adsignata est cap. 7.

DE BVTYRO.
Cap. XXXV.

LEnit, & humectat, soluit sine febre butyrum.

Hic de butyri proprietatibus & viribus agitur. Prima est butyrum lenire mollificare ac lubricum reddere ventrem sua vnctuositate. Secũda est, butyrum humectare, quia ex melioribus partibus lactis compositum est, & ita ei cõuenit humectare, quemadmodum & ipsi lacti, vnde extrahitur. Tertia est soluere ventrem, id est, aluum ducere, propter lubricitatem, quam intestinis inducit. Et has proprietates etiam ponit Auicen. 1. Can. cap. 117. Et inducit has tres proprietates corpori non febricitãti. Nocet enim corpori febricitanti, quia propter vnctuositatẽ facilè inflãmatur, & in febricitante calorẽ augmentat. Sciendum tamen, quòd butyrum, etsi prædictas proprietates obtineat, ratione tamẽ nimiæ humiditatis

&

& vnctuositatis, non cōpetit, vt cibus, præsertim si vsus eius immodicus fuerit. Ita nāque abominationē parit, & facit vt cibus in orificio stomachi supernatet, & ventrem plus iusto laxat, vomitúmq; proritat. Nullo ergo modo butyrū comedēdum est, vt cibus immodicè neq; immediatè post alios cibos, sed ad cōdimentum cibariorū satis cōuenit. Butyri vsus.

DE SERO. Le Petit Lait.
Cap. XXXVI.

INciditque, lauat, penetrat, mūdat quoque serum.

Quatuor hic recensentur proprietates seri id est, aquæ lactis. Prima est, serū incidere, siue attenuare. Secunda, lauare, id est, abstergere. Tertia, penetrare, & hæc sequitur ex prima. Quarta, mundificare, id est, soluere siue purgare. Et has proprietates refert Auicen. 2. Canon. ca. 444. vbi sic scribit: Aqua eius est subtiliatiua, lauatiua, & solutiua, & in ipsa nō est mordicatio. Rhazes verò 1. ad Mansorem ca. 15. Serum ait, bilem expellit rubeam, scabiei quoque ac pustulis, nec non & pustulis, quæ in facie nascuntur, icteritiæ etiam, atque ei cui fortis vini potus nocuit auxilium præbet.

DE

DE CASEO.
Cap. XXXVII.

CAseus est gelidus, stipãs, crassus quoque durus.
Caseus & panis bonus est cibus bene sanis.
Si non sunt sani, tunc hunc non iungito pani.

Hoc loco duo aguntur. Primò referuntur quatuor proprietates casei. Prima est, caseum esse gelidum, id est, naturæ frigidæ, & hoc intelligendum de caseo recenti, qui frigidus est & humidus, & non de veteri, qui calidus est & siccus, vt habet Auicenna 2. Canon. cap. 127. Potest item intelligi, qui ex sola coagulatione lactis conficitur, absque alterius rei commixtione. Reperitur enim caseus calidæ naturæ, stomachum calfaciens, & linguam mordicãs ob rerum admixtarum commixtionem, velut caseus quidam viridis, qui si magna quantitate edatur, vehementer corpus excalfacit. Secunda proprietas est, caseum stipare, id est, adstringere, & duram aluum reddere, & præcipuè veterem, ac multum coaguli habentem.

Casei proprietates.

bentem. Tertia eſt, caſeum eſſe craſſum, id eſt, craſſos generare humores, ídque nullo excepto. Omnis enim caſeus ex craßiori & magis terreſtri lactis ſubſtantia cogitur. Quarta eſt, caſeum eſſe durum, id eſt, duritiem alui efficere. Et hæc eadem eſt cum ſecunda. Deinde refertur, quòd caſeus quamuis ſolus ſumptus ſit inſalubris, eò quòd ægrè concoquatur, vt dictum eſt, attamen ſi modica quantitate miſceatur pani, cũ ipſo pane fieri digeſtibilem, aliàs non, & hoc in corpore ſano, in ægro verò minimè. Plura lege de hoc ſuprà cap. 9.

CASEVS LOQVITVR.

Ignari medici me dicunt eſſe nociuum.
Sed tamen ignorant cur nocumenta feram.
Languenti ſtomacho caſeus addit opem.
Si pòſt ſumatur, terminat ille dapes.
Qui Phyſicen non ignorant, hæc teſtificantur.

Duæ recensentur vtilitates sumpti casei. Prima est, caseum conferre stomacho ægrotanti, vbi tamen notandum, non quemuis caseum cuilibet languenti stomacho opem perferre, sed in certis quibusdam casibus omnem caseum nocere, nimirum stomacho raræ texturæ, & cuilibet stomacho ex longa ægritudine debilitato. Cæterùm caseus recens & nouus, paucæ viscositatis calido stomacho opitulatur, quia Rhaze 3. ad Mansorem cap. 15. teste, adustionem & caliditatem eius reprimit. Cõfert etiam, propter humiditatem suam, stomacho sicco. Talibus verò stomachis admodum nocet caseus antiquus, vel valde acutus, & multi coaguli. Sed stomacho, cuius pelliculis multa adhærent phlegmata, plurimum cõducit caseus antiquus, vel multi coaguli, acrimonia enim sua phlegmata incidit & abstergit. Cõtrà verò huic recens & mollis caseus maximè nocet. Secunda est, caseum sumptũ à cibo, ipsum terminare, facit enim descendere cibum in locum vbi viget digestio, id est, ad fundum stomachi. Ita scribit Rhazes 3. ad Mansorem, cap. 5. Veruntamẽ cùm post comestionem, parua ex eo sumitur quantitas, os stomachi corroborat. Satietatem quoque nimiã, atque fastidiũ,

quæ

quæ ex dulcibus & vnctuosis in in ore stomachi proueniunt cibis, aufert.

DE MODO EDENDI & bibendi. Cap. XXXVIII.

INter prandendum sit sæpe parúmque bibendum,
Vt minus ægrotes, non inter fercula potes.

Hoc capite duo præcipiuntur. *Primò, vt inter prandendum fiat alternatio quædam edendi & bibendi, id est, vt inter edẽdum alternatim sæpius parum bibatur, neque eò vsque differatur potus, dum venter cibo expleatur, vt dictum est cap.*32. *Secũdò verò, vt inter prandium & cœnam, quoad eius fieri potest, potus euitetur, & hoc si cibus sumptus in stomacho nondum digestus fuerit, nisi magna cogente necessitate.* Impeditur *enim & interrumpitur primò sumpti cibi digestio, ac indigestum eum è stomacho descendere cõtingit, appetitus deiicitur cibi in cœna sumendi, corpus grauatur, & ad dispositionem in qua homo neque sanus, neque æger est; inclinat,*

siue qualis ea est, quæ febrim pcedere solet.

Vt vites pœnam, de potibus incipe cœnam.

Hîc docetur, cœnam inchoandam esse à potu. Sunt qui hoc modo exponant: Si vis vitare pœnam, id est, infirmitatẽ, prius bibas in principio cœnæ quàm comedas: sed hæc expositio inepta est prorsus ac inualida. Secundũ medicos etenim conducibilius est, à cibo cœnã auspicari, quàm potu. Nec ipsi Angli, quibus præsens liber dicatus est, istum morem siue consuetudinem seruant. Communiter quacunque diei hora bibere voluerint, bolum siue morsum panis præsumunt. Videtur itaque hunc habere sensum: Incipe cœnam à potu, id est, à cibo liquido, & facilè digestibili, quemadmodum & Hippocrat. 2. lib. Aphor. 11. potum vsurpauit, vbi sic inquit: Facilius est impleri potu, quàm cibis. Ratio autem hæc est, quia si cibus liquidus & facilè digestibilis postremo sumatur loco, cùm nocte superueniẽte fortificetur calor digestiuus, cibus ille liquidus & facilè digestibilis longè antè digereretur, quàm crassus & cõcoctu difficilis. Qui non inueniens exitũ ob cibum crassum nondũ digestum, minus aduretur, vel si exierit,

exierit, craſſum cibũ nondũ ad plenũ digeſtum ſecũ corripiet. Melius eſt ergo, vt cibus liquidus & facilè digeſtibilis præſumatur, vt digeſtus exitũ habeat, nullo repugnãte.

Poſt piſces nuces, poſt carnes caſeus adſit.
Vnica nux prodeſt, nocet altera, tertia mors eſt.

Hoc *loco duo in primis tradũtur p̃cepta.*

Primum, vt poſt eſum piſcium, caſei loco ſumantur nuces. Nux enim ſiccitate ſua, impedit generationẽ phlegmatis, quod ex piſcibus generari ſolet, hinc etiam in ieiunio quadrageſimali, ſummo loco exhibentur nuces. Alia ratio, quia piſces, quandoque veneni nonnihil in ſe continent, difficulter concoquuntur, & facilè putreſcũt ac corrumpuntur. Nuces verò iuuant digeſtionem, quia ſunt mediocriter calidæ. Alia, Quia quando ſunt venenoſi, vt dictũ eſt, ſtatim nux remedium præſtat contra venenum. Ergo piſces temperantur per nuces, & ſic ſanum eſt, ſumere nuces poſt piſces.

Secundũ, vt poſt eſum carnium ſequatur caſeus, non nuces. Caſeus enim facit, vt cibus deſcẽdat ad fũdũ ſtomachi, vbi viget

*digestio. Et hoc intelligendum de caseo, medium inter recẽtem & veterem locum sortito. Deinde posteriore versu ostenditur, quòd vnica nux, scilicet myristica, naturæ humanæ prosit, bonum enim odorem oris efficit, visum, hepar, splenem & stomachum confortat, & maximè orificium eius. Secũ*Auellana. *dum* Auicennam 2. Can. *cap.* 506. *Sed altera nux, scilicet auellana siue communis, nocet,* Auellana *quidem, quoniam in ipsa inflatio est, & generat vẽtositates in ventre inferiori, & facit sodam, id est, dolorẽ capitis, tardæ est digestionis, & excitat vomitum, inquit* Auic. 2. Canon. *cap.* 41. *Nux verò communis, quia & ipsa facit sodam, difficulter digeritur, infesta est stomacho, & maximè calido, ob caliditatem suam.* Dioscor. *lib.* 1. *cap.* 141. Tertia *nux scilicet balistæ, est mors, id est, mortem infert, hac enim homines interficiuntur.* Vel *intelligi potest de nuce methel, quæ autore* Auic. 2. Canon. *cap.* 512. *venenum est stupefactiuum, citò mortem inferens, de qua plura* Rhazes 3. *ad* Mansorem *cap.* 30. Serapion *cap.* 305. *de simpl.*

Singula post oua pocula sume noua.

Hîc præcipitur, vt post cuiuslibet oui recentis & mollis esum sumatur haustus, & maximè vini. Ouum enim recens & molle optimi est nutrimenti & facilis digestionis, parua quantitate corpus plurimo reficiens nutrimento. Quod tamen excellẽtius præstat, vt dictum est cap. 8. Quare vinũ, cùm sit amicum naturæ, facit vt ouum auidius ad membra trahatur, & citius penetret. alia causa: Ouum tardè per meri descendit, quare potus siue vinũ iuuat eius descẽsum.

DE PYRIS Cap. XXXIX.

ADde pyro potum, nux est medicina veneno.
Fert pyra nostra pyrus, sine vino sunt pyra virus.
Si pyra sunt virus, sit maledicta pyrus.
Cùm coquis, antidotũ pyra sunt, sed cruda venenum.
Cruda grauant stomachum, releuant pyra cocta grauatum.

Post pyra da potum, post pomum vade cacatum.

Primo versu docetur post esum pyrorũ
Pyra. *sumendum esse potum vini. Cuius causa reddita est suprà cap. 7. Quia pyra generant ventositates & colicam, sanguinem aquositate replent, vnde conuenienter cum eis bibitur vinum, ídque forte & calidum, hoc enim ventositates discutit, & aquositatem ex esu pyrorum consumit. Secundò dicitur, nucem esse medicinam veneno, id est, remedium contra venenum, vt dictum est, cap. 13. Secundus autem & tertius versus indicant pyra absque vino sumpta esse venenum, id est, natura nocere, cuius causa reddita est primo versu. Attamen non sunt simpliciter virus, id est, venenum: ita enim comesta, mortem inferrent, ac proinde pyrus ea producens esset maledicta & excidenda. Hinc ille Cordi iocus:*

Vt pyra non noceant, extrà mundentur & intrà,
Mox immerge sali, proiice deinde foràs.

Quarto versu innuitur, pyra cruda esse venenum, id est, nocumentũ inferre, faciunt enim ebullitionẽ humorũ colicam, phlegmata & scabiem. Si tamen coquuntur, fiunt

antidotum, id est, medicina, eo modo quo dictum est suprà, cũ vino, & maximè post alios cibos sumpta, ita enim adiuuãt fecum expulsionem. Quinto versu dicitur pyra cruda grauare stomachũ. Impediunt enim digestionem, & inflant, sed cocta releuant ac reficiunt stomachum grauatum, pristinóque vigori restituunt. Vltimus versus, duo continet, primò scilicet, vt post esum pyrorum, sumatur haustus vini, vt dictum est. Deinde verò, vt post esum pomi alui excrementa deiiciantur. Auicenna. 2. Can. cap. 569. Poma, inquit, dulcia & acetosa, quãdo in stomacho inueniunt humorem crassum, quandoque deponunt ipsum in egestione. Potest etiam hæc assignari ratio, quia poma vehementer inflant, ventositatem generant, quæ per secessum emittitur.

DE CERASIS. Den Cerisen.
Cap. XL.

SI cerasum comedas, tibi confert grandia dona.
Expurgat stomachum, nucleus lapidem tibi tollit.

L'amande ou le noiau.

Hinc melior toto corpore sanguis inest.

Hîc enumerantur tria commoda ex esu cerasorum. Primum est, cerasa expurgare stomachũ: Quod quibusdã verum videtur, si vnà cum eis nuclei conterãtur: hoc enim modo abstergũt & emundant. Secũdum est, nucleum cerasorum peculiari proprietate, frangere lapidem in renibus, siue vesica, si succus eius sumatur, vel lac inde fiat.

Tertium est, carnem cerasorum optimum generare sanguinem, confortare & impinguare. Et hoc experientia comprobatur: videmus enim passeres, qui plurimum cerasis delectantur, eo tempore, quo cerasa matura sunt, longè maiora habere hepata, quàm aliàs. Vnde colligitur cerasa hepar augere & confortare. Hîc notandum duplicia esse cerasa, crassa scilicet, & parua. Crassa rursum duplicia, dulcia nimirum & Põtica. Dulcia omnia & parua insalubriora sunt, facilè corrumpuntur in corporibus vermes generantia. Crassa Pontica, Cina vocantur, quæ & ipsa dulcia inueniuntur. Quædam enim rubra sunt & mollis carnis, quæ recentia sunt edenda in principio mensæ: vim habent abstergendi stomachi,

&

& ciendi appetitus. Alia cina nigra sunt & crassa, duræ carnis, & maximè omniũ Pontica, quæ summo loco in prandio, siue cœna edenda sunt, quia stypticitate sua in fine mensæ claudunt orificium stomachi, eóque clauso digestio melius & citius peragitur.

DE PRVNIS Cap. XLI.

Frigida sunt, laxant, multum prosunt tibi pruna.

Duæ hoc loco adsignantur vtilitates prunorum.

Prima est, Pruna infrigidare corpus. Quare & Portugalenses, cum sint in calida regione, decoctioni carnium suarum semper commiscent pruna, & maximè Damascena.

Secunda est, pruna humiditatis ac lenitoris sui gratia ventrem subducere, autore Gal. lib. 2 de aliment. facul. Id quod de prunis maturis intelligendum est. Crudis enim stypticitas inest, vt testatur Aui. 2. Can. cap. 541. Et minimum alimenti corpori præstant. Et hæc secũda vtilitas, licet multum

tum conueniat prunis Damascenis, quemadmodum & prima, maximè tamẽ conuenit prunis allatis ex Armenia, quæ reliquis omnibus meliora sunt, & vehementius soluunt, vt testatur Auic. loco citato. Sciendũ autẽ pruna matura ex vsu esse, immatura minimè. Probatissima in his, & naturæ cõuenientiora sunt, figuræ oblõgæ, carne pauca & dura, nõnihil siccitatis participãtia. Cortice exteriore tenui, sapore non prorsus dulcia, sed acorem aliquẽ aut acerbitatem præ se ferentia, cuiusmodi sunt Damascena: hæc enim humectant, & refrigerãt mediocriter. Sunt porrò, & aliæ multæ prunorũ species, quorũ tamen vsus nõ est approbandus. Sunt etiam prunella quædam syluestria, parua, dura, acerbáq;, & in cibo permolesta, & vẽtri mouendo idonea: ex quibus fit aqua ad ventrem sistendum commodissima. Conuenit autem, vt pruna, pro vẽtris solutione exhibenda, primò in aqua frigida, ac breue tempus macerentur. Hoc enim modo præparata magis refrigerãt & humectant, choleram inuentam lubricãdo soluũt: stomachum melius cibo recipiẽdo disponunt. Pruna humida, recentia, magis alterant: quamuis sint peioris nutrimenti, ac plurium superfluitatum, sicca magis cõfortant,

fortant,

fortant, & melius alimentum corpori præstant. Et quod dictum est de prunis, aliquo modo etiam intelligatur de cerasis: attamē cerasorū humiditas subtilior est, & minus viscosa: vnde minus nutriunt quàm pruna.

DE PERSICIS, RACEMIS, & PASSULIS. CAP. XLII.

Des Pêches, des raisins cruds et cuits

Persica cum musto vobis datur ordine iusto,
Sumere sic est mos nucibus sociando racemos.
Passula non spleni, tussi valet, est bona reni.

Tria hoc loco traduntur præcepta. Primum est, vt vnà cum Persicis bibatur mustum, vel cum musto exhibeantur Persica. Mustum enim excalfacit plurimum, & ebullitionem in corpore facit. Persica verò frigiditate sua hanc ebullitionem & calfactionem tollunt: Persicis contrà, quia vehementius refrigerant, meritò adhibetur mustū: hoc enim calore suo frigiditatē eorū, ne stomacho noxā inferant, contēperat & mitigat. De Persicis dictū est suprà cap. 7.

Secundum

Secundum eſt, vt racemi edantur cum nucibus, quod equidem de nucibus ſiccis & antiquis intelligendum eſt. Virides enim & recentes nuces, per ſe ſalubres cenſentur, Antiquæ verò & ſiccæ excellenter exiccant, & propter vnctuoſitatem ſuam facilè in corpore inflammãtur, quare vnà cum eis racemos edere conuenit. Hi enim inflãmationi & exiccationi humiditate ſua reſiſtunt. De nucibus copioſè dictũ eſt cap. 13.

Tertium eſt, Paſſulas, id eſt, vuas paſſas officere ſpleni, quia obſtruunt eum: Vtiles autem ſunt renibus, vrinam enim prouocant, renes lauant, & abſtergent. Renes nanque multa aquoſitate ad ſeſe ducta mundantur. Et de his ſatis dictum eſt ſuprà cap. 9.

Des figues.

DE FICVBVS. Cap. XLIII.

vne tumeur

Scrofa, tumor, glandes, ficus cata plaſmate cedunt.
Iunge papauer ei confracta foris tenet oſſa.

Hîc duæ recenſentur commoditates ex emplaſtro ficuum. Prima eſt, ficum deco-

ctam

ctam in aliquo liquore, videlicet, in aqua, & superpositam humidã, curare hasce tres ægritudines: Scrophulas nimirùm, glandes, & tumores. Per scrophulas verò, quas Græci χοιράδας, Latini strumas vocant, intelliguntur inflationes sub mento circa collum. Dicitur scrofula à scrofa, id est sue, siue, porca, vel quòd hæc ægritudo porcis, ob voracitatem plurimum accidat: Vel quòd figura eius vt plurimum porcis assimiletur, teste Auic. phen. 3. 4. Tract. 2. cap. 9. Per glandes verò intelligũtur apostemata, quæ ferè sub axillis & inguinibus enasci solent. Per tumores possunt intelligi inflationes in qualibet corporis parte. Et hisce apostematibus curandis & maturãdis decoquenda est ficus in aqua, ipsi aquæ commiscendo parum aceti. Hoc enim ad penetrationem virtutis ficus plurimum facit. Decoctione autem facta, ficus in mortario conterendæ sunt, ac deinde aqua in qua ebullierunt commiscendæ. Cataplasma propriè vocatur medicamentum confectum ex plantis viridibus contusis, vel iisdem ad mollitudinem vsque in aqua decoctis. Vnde versus:

Tunc cataplasma facis, cùm succum ponis & herbam.

Secunda est, ficum cum papauere in cataplasma redactam retinere ossa fracta. Simul autem decoquenda sunt in aqua absque aceto, ac deinde conterenda, hinc aqua decoctionis eorundem addenda, & ita superponenda. Causa videtur esse, quòd papauer stupefaciat, vnde tollitur dolor, qui accidere solet in fractione ossium, & prouocet somnum. Ficus quoque trahit humiditates ad exteriora, quibus ad ossa attractis illa retinentur quidem & sanãtur, sed nunquàm ferè coalescunt. Nonnulli pro tenet, trahit, habent, & ita sensus est melior.

Papauer triplex. *Papauer porrò triplex est, album scilicet, nigrum & rubrum. Rubrum syluestre, est venenosum, in aruis inter frumenta nascitur. Iuuenes solent conterere folia florum, & inde conficere atramentum.*

Pediculos: Vermiculos, venerémque facit, sed cuilibet obstat.

Duæ hîc tradũtur operationes ficuum. Prima est, ex comestione earum, in corpore humano vermiculos, id est, pediculos nasci. Et hoc maximè intelligendũ de ficubus siccis, vt refert Auic. 2. Canon. cap. 213. Causa est, prauitas & corruptio humoris inde generati. vel alia causa adsignari potest, quòd scilicet

ſcilicet ficus multum ſudorem prouocent, vnde ſequi ſolet interdum pediculorum generatio. Secũda, eſt, quòd ficus appetitum moueant coëundi: generãt enim ventoſitatem, qua erigitur virga, ſúntque multarũ ſuperfluitatum, & ſperma augmentãt.

DE ESCVLIS.
Cap. XLIIII.

MVltiplicãt victum, ventrem dant eſcula ſtrictum,
Eſcula dura placent, ſed mollia ſunt meliora.

Recenſentur hoc loco duæ eſculorũ vtilitates. Prima eſt, ea multiplicare mictũ ſiue vrinam. Inducunt enim feces, & ita fecum aquoſitas multitudinis vrinæ cauſa eſt. Vel poteſt reddi ratio ſimilis illi quæ habetur apud Hippoc. lib. 4. Aphoriſ. 83. Mictio noctu plurima facta, paruam ſignificat deiectionem: & vice verſa. Cauſa eſt, teſte Philotheo, quoniã multa eadẽq; collectior facta eſt digeſtio in hepate, & ex aduerſo materia deriuauit, et ob hoc multa vrina deducta eſt, parũ autẽ ſtercoris: et vice verſa, ſi multa ſtercoris deiectio fiat, pauca

Meſpila. Les neffles.

Mictio noctis multa. l'urine

erit

erit per vrinam, ob eandem causam, quoniam pauca facta est digestio, & ob hoc pauca etiam vrina. Secunda est, escula constipare ventrem, & hoc accidit ob stypticitatem & ponticitatem eorum. Ex quo infertur escula dura esse bona, quia constringant ventrem, & ob id prodesse ventri nimium laxato, sed mollia escula duris præstare, quia nutriant, & ventrem minus adstringant.

Sciendum tamen, escula minus conuenire vt alimentum, quàm poma, pyra, Persica, ficus, & similia, quod satis deprehenditur ex austeritate saporis & duritie substantiæ, postquam in arbore maturuerunt. Parcè itaque eis, & magis vt medicamine, quàm cibo, vtendum. Ob stypticam tamen facultatem, quam validissimam in sese continent, plurimum in ventris fluxu sistendo valent. Sed quia in arbore, minus quàm vt edi possint, mollescunt, antea præmollienda sunt: ita nanque stypticitatem remittunt, & sapidiora fiunt.

DE MVSTO.

Cap. XLV.

PRouocat vrinam mustum, citò soluit & inflat.

Hîc tres musti virtutes referuntur. Prima est, ipsum ciere vrinam, quia insunt in eo feces terreæ, & nitrosæ, ac proinde cùm in vesicam descenderint, ipsam mordicant, quare vesica eas citius expellere nititur. Intelligendus est autem versus de musto habente feces mordicantes, & non quolibet: cuiusmodi nonnulla esse deprehendũtur ex Rhenensibus. Mustum enim cuius feces crassæ sunt, non mordicantes, oppilando vrinam magis impediunt, vt dictum est cap. 26. Secunda est, Mustum citò soluere siue laxare ventrem, idque ob eandem causam, quæ iam dicta est. Tertia est, Mustum parere inflationes, & hoc propter ebullitionem quam in corpore facit: Inde enim proueniunt ventositates. Sed de his omnibus satis cap. 26.

DE CEREVISIA ET ACETO. CAP. XLVI.

CRassos humores nutrit cereuisia, vires
Præstat, & augmentat carnem, generátque cruorem,
Prouocat vrinam, ventrem quo-

que mollit, & inflat.
Frigidat & modicum: Sed plus desiccat acetum,
Frigidat, emacerátque, Melăch. dat, sperma minorat,
Siccos infestat neruos, & pinguia siccat.

Cereuisiæ proprietates.

Octo in primis hoc capite recensentur proprietates cereuisiæ. Deinde agitur de quinque proprietatibus aceti. Prima ergo cereuisiæ proprietas est, quòd in corpore crassos gignat humores. Idque maximè respectu vini. Secundum materiæ verò varietatem, vnde conficitur, alias atque alias in sese vel incrassandi, vel extenuandi humoris rationes adsumit. Cereuisia enim ex craßiori substantia, craßiores humores generat, ex tenuiori, tenuiores. Secunda est, cereuisiam augmentare vires, id quod intelligendum de cereuisia ex optimis granis cōfecta, & probè cocta, cuiusmodi est cereuisia Ostiensis. Hæc enim multum nutrit, & vires auget.

Tertia est, augmentare carnem, & hoc propter multam eius nutritionem. Quarta est, multiplicare sanguinem, eadem de causa.

sa. Et hæ tres vltimæ proprietates veræ sunt, si intelligantur de cereuisia antiqua, probè cocta, & ex optimis granis confecta. Quinta est, prouocare vrinā. Sexta, laxare ventrem, Quæ duæ proprietates potissimùm intelligendæ sunt de cereuisia clara, cui plurimū lupuli incoctum sit, cuiusmodi est cereuisia Hamburgensis, quæ prouocat vrinam, & laxat ventrem propter lupulum. Minimè tamen conuenit hominibus imbecillioris cerebri, facilè enim ex ea ob lupuli multitudinem inebriantūr. Septima est, inflare ventrem: quod intelligendum de cereuisia leui decoctione cocta: cuiusmodi est Coyta Holandiæ, quæ maximè inflat & oppilat, plurimúmque impinguat. Octaua est, cereuisiam nonnihil infrigidare, cuiusmodi est Cereuisia Holandiæ, Brabantiæ, Hanoniæ, & Flādriæ, qua plebeii vulgares vtuntur. Et hæc proprietas potissimum veritatem habet, si ad vinum respicias.

Sciendum autem, cereuisiam fieri posse ex auena, hordeo & frumento. Secundum verò materiæ rationem, diuersa ei inducitur qualitas & constitutio. Nam quæ conficitur ex hordeo, frigidior euadit, quia hordeum frigidum est. Quæ autem ex hordeo Cereuisiæ confectio.

& auena, minus oppilat, minus ventositatum generat, minúsque nutrit. Quæ ex frumento, calidior existit, magis nutrit, & magis oppilat.

Cereuisia quò craßior, eò deterior, & quantò subtilior, tantò melior. Peßima cereuisia quæ conficitur ex rebus inebriantibus, vt pote ex lolio, hæc enim maximè capitis dolorem generat, & neruos lædit.

Aceti proprietates.

Secundo deinde loco recensentur quinque proprietates aceti. Prima est ipsum exiccare, quia est fortis exiccationis, autore Auicenna lib. 2. Tract. 2. cap. 78. Quare Medici præcipiunt, tempore pestis vti aceto in cibo & potu. Auicenna enim 3.1. Doct. 5. cap. 1. de eo sic inquit: Aceto præterea in cibo & potu vti in pestilentia, est nocumenti ipsius securatio. Secunda est, acetum ex proprietate infrigidare. Tertia est, emacerare hominem, id est, macrum reddere, Quia exiccat, & hoc maximè verum est, si intelligatur de aceto, quod ieiuno stomacho sumitur, vt teste Auicenna Phen. 3.1. Doct. 4. capite quinto. Aßiduus tamen vsus aceti in ieiunio, multa incommoda adfert, visum enim debilitat, pectus offendit, tußim cōmouet, stomachum, hepar, neruos, & iun

ctura

ε̃turas vehementer lædit. Iũcturas quidem articularibus doloribus, tremoribus, & paralysi infestans. Quarta est, Acetum generare melancholiam, humores enim infrigidat & exiccat. Quinta est, Acetum imminuere, & extinguere sperma, quia exiccat, infrigidat, & emaciat. Et has proprietates aceti refert Rhazes 3. ad Mansorem cap. 17. Acetum, inquit, frigidum est, & siccum, quod & maciem efficit, & virtutem destruit, sperma quoque minuit, bilémque corroborat nigram, rubeam verò bilem, & sanguinem debilitat, cibósque quibus admiscetur, subtiliat.

Vltimo versu tria comprehenduntur. Primum est, acetum nocere macris. Ratio, quia exiccat, & ita maciem auget. Simile enim additum suo simili, facit ipsum furere, & constitutio lapsa, per contrarium curatur, per simile verò deterior redditur. Secundum est, acetum nocere neruis, vt dicit Auicenn. 2. Can. cap. 78. Tertium est, acetum emaciare pingues, cuius ratio iam reddita est.

DE RAPIS.
Cap. XLVII.

RApa iuuat stomachũ, nouit producere ventum.
Prouocat vrinam, faciet quoque dente ruinam.
Si male cocta datur, sic tortio tũc generatur. elle donne des tranchées.

Hîc tria enumerantur imprimis raporũ commoda, siquidem probè percoquantur, & vnicum deinde nocumentum. Primũ commodum est, rapa iuuare stomachum, vt quæ facilè digerat ac ferat. Secundum est, rapa inflationes parere, quod quidem experiẽtia comprobatur. Tertium est, prouocare vrinam. Auerrois præterea testatur mirabilem habere proprietatem, ad illuminandos oculos. Nocumentum verò raporum est, quòd frequens eorum comestio dentibus noceat.

Rapa. *Vltimo porrò versu traditur, rapa crudiora torsiones & tormina parere: inflãt enim vehemẽtius, & stomachũ infestant, nonnũquam etiã mordẽt illum, teste Galen. lib. 2. de alim facult. vnde versiculus vulgatus:*

Ventum

Ventum sæpe rapis, si tu vis viuere rapis.
Caudæ raporum fortiter ventrem soluũt.
Inter radices omnes, quæ quidem edendo sint, rapæ maximè conueniunt corporis nutritioni, quod satis ex saporis iocunditate deprehenditur. Hæc enim natura est omniũ eduliorum, vt amara & pungitiua minus alimentum corpori præstent, Dulcia verò maius. Rapa autem cùm radicibus aliis sint dulciora, minúsque pungant, consentaneum est, maius aliis præstare alimentum, magísque in victus salubris ratione conuenire. Attamen sanguinẽ generant crassum, & melancholicum, si digestiua virtus imbecilla fuerit. Conuenit autem vt à prima decoctionis aqua sequestrata, bis percoquãtur. Cruda enim nullo modo sunt edenda. Venerem stimulant, & vrinarios meatus emundant.

DE MEMBRIS ANIMALIVM. Cap. XLVIII.

EGeritur tardè cor, digeritur quoque durè.
Atque idem stomachus, tamen exteriora probantur.
Reddit lingua bonum nutrimẽ-

tum medicinæ.
Concoctu facilis pulmo est, citò labitur ipse.
Est melius cerebrum gallinarum reliquorum.

Cor. *Quinque adnotantur hoc loco de mēbris animalium. Primum est, cor tardè & digeri, & per intestina descendere. Caro enim eius melācholica est, cuius natura est ægrè concoqui, & tardißimè deiici. Galen. lib. 3. de alim. facul. Cor substantia sua fibrosa duráque est caro, ideoque non sine magno negocio confici potest, tardéque commeat. Rhazes 3. ad Mansorem cap. 11. Cor, inquit, calidū est, & duræ substātiæ, quod & tardè digeritur, neque multum nutrit.*

Stomachus. *Secundū est, & stomachum similiter malæ esse concoctionis, & tardi descensus. Est enim membrum neruosum & cartilaginosum, neque generat bonum sanguinem. Additur tamen, eundem in extremitatibus nimium in fundo & orificio facilius concoqui, in illis etenim partibus magis carnosus est, & pinguior.*

Lingua. *Tertium est, linguā esse boni nutrimēti, & maximè circa radicem, teste Auicenn. 2.*

Can.ca. 146. Ratio, quia facilis est con co-ctionis & carnosa. Inter omnium animaũ linguas facilè primam laudem obtinet por-cellorũ, hæ siquidem ablata pellicula circũ-cingente, carni aprinæ æquiparantur, id quod structores, & prægustatores principũ non ignorãt. Linguæ bouinæ, ob nimiã hu-miditatem parũ in victus salubris ratione comedantur: quare Apitii & delicatuli iis vsuri, antequam assentur, inserunt caryo-phylla, quò humiditas illarum temperetur, & edendo aptiores fiant.

Quartũ est pulmonẽ facilè concoqui, & per intestina descẽdere, ídque ob raritatem & mollitiẽ. Veruntamen nutrimentũ non satis cõuenit naturæ humanæ, quia exiguũ est, & phlegmaticũ, vt testatur Auicen. 2. Can.ca. 568. Pulmo autẽ arietis, licet mini-mè vt cibus cõueniat, bona tamẽ medicina est, quia sanat excoriationẽ calcanei ex calciamento, si calidus imponatur, teste Aui-cen. ibidem. Pulmo.

Quintũ est, cerebrũ gallinæ inter omnia esse præstantissimũ, de quo Auic. 2. Can. ca. 129. scribit, cõferre fluxui sanguinis nariũ. Cum sale autem & speciebus comedenda sunt, Pituitosa existunt, & nauseã concitãt. Pullorum verò cerebra, scribunt medici, cõ- Cerebrũ.

ferre

ferre memoriæ. Cerebra porcorum naturæ sunt inimica sed cerebrum ouis, leporis, & et du lapin cuniculi, cum sale & specicbus edi conceditur. Plura de hoc suprà cap. 9.

DE SEMINE FOENICVLI. Cap. XLIX.

Le Fenouïl

Semen Fœniculi pellit spiracula culi.

Fœniculum. Hic agitur de semine Fœniculi, quod Marathrum Græcis dicitur. Expellit hoc, & dissoluit ventositates, quia calidum est, & siccum, ac carminatiuum. Ex esu verò seminis fœniculi, vtilitates promanant 4. Primò enim confert febribus, deinde pellit venenũ. Tertiò mundificat stomachũ. Quartò visum acuit, vnde versiculi vulgati:

Bis duo dat Marathrum, febreis fugat, atque venenum.

Et purgat stomachũ, lumen quoque reddit acutum.

Harum vtilitatum meminit & Auicenna 2. Canon. cap. 281. vbi inter alia refert & Democritum existimasse, vermes venenosos, siue serpentes, recentis fœniculi semine pastos, senectã exuere, oculorúmq; aciẽ, succo eius reficere, vbi verno tẽpore cauernas

tras suas reliquerint. Vnde intellectum est, hominum quoque caliginem præcipuè eo releuari, inquit Plin. lib. 20. ca. 23. Legatur idem lib. 8. cap. 27. & lib. 19. cap. 9. Nicander sub exordium theriacorum: Non tamen vt cibo fœniculo vtendum est, sed magis vt medicamine: tardius enim digeritur, prauũ & exile nutrimentum præstans. Adhiberi autem aliquando solet ad corrigendã quorũdam ciborum prauitatem & malitiam: quemadmodum enim lactucæ additur interdum petroselinum, vt frigiditas & humiditas eius contẽperentur, ita & fœniculũ nonnunquã vnà cũ cucurbitis, aut rapis cõ coquitur, ad malitiam eorũ imminuendã.

DE ANISO Cap. L. De l'anis.

EMendat visum, stomachum confortat Anisum,
Copia dulcoris anisi sit melioris.

Hic duæ referũtur vtilitates anisi. Primũ est confortare visum. Secundũ verò & stomachum. Anisum enim emundat stomachum à phlegmatibus, & calfacit. Eadem etiam ratione cõfert visui, quia nihil æquè nocet visui ac immundities stomachi, quia Anisum.

à

à stomacho immundo eleuantur fumi immundi, qui oculis nocent, perturbando spiritus visiuos, & hæc maximè præstat Anisum dulce. Præter has Auic. 2. Can. *cap.* I. *longè plures vtilitates recenset. Anisum, inquit, est apertiuum, dolorum sedatiuum, ventositatũ resolutiuum, abscindit sitim factam ex humiditatibus salsis, & confert oppilationi hepatis & splenis, generatæ ex humiditatibus. Prouocat vrinã & mẽstrua, emundat matricem à fluxu humiditatum albarum, venerem stimulat, & aperit oppilationes renum, vesicæ & matricis.*

Tutie. fucie Minerale

DE SPODIO. CAP. LI.

SI cruor emanat, spodiũ sumptum citò sanat.

Spodium. *Traditur hoc loco Spodium sanare fluxum sanguinis: habet enim virtutem propriã confortandi hepatis. Hepate autẽ, qui fõs & origo est sanguinis, corroborato melius ab eodem sanguis retinetur.* Auicen. 2. Canon. *cap.* 617. *testatur spodiũ esse radices cannarum adustas. Dicitur enim, inquit, quòd ipsæ aduruntur propter fricationem suarum extremitatum, cùm ventus eas per flat. Simõ verò Ianuensis dicit spodiũ esse*

rem, cuius origo nos lateat. Res tamen adusta videtur, & diuisiones cannarũ adustarum. Confert autem non modò nimio sanguinis fluxui, verũ etiã ventris, & vomitui, teste Rhaze 3. ad Mansorem cap. 36. Confert etiam febribus acutis, & siti, confortat cor, & confert tremori eius calido, & syncopæ factæ ex effusione choleræ ad stomachũ, vt habet Auicẽna loco citato. Et sicut spodium rationẽ habet siue respectũ hepatis, ipsum confortando: ita sunt & aliæ medicinæ quæ habẽt similem aspectũ & proprietatem confortandi alia mẽbra singularia, veluti Macis cor, Moschus cerebrũ, Glycirrhiza pulmonem, capparis splenem, & galanga stomachum, vnde versus.

Gaudet hepar spodio, mace cor, cerebrum
quoque Moscho,
Pulmo liquiritia, splen cap. stomachúsque
galanga.

DE SALE. CAP. LII. du sel Marin

VAs condimenti præponi debet edenti.
Sal virus refugat, rectè insipidúmque saporat,

Nam

Nam ſapit eſca malè, quæ datur abſque ſale.
Vrunt res ſalſæ viſum, ſeménque minorant.
Et generant ſcabiem, pruritum ſiue rigorem.

Hoc loco tria diſcutiuntur. Primò ponitur præceptum generale, nemini hactenus non obſeruatum, vt videlicet vas condimenti, id eſt, ſalis, quod ſalinum dicitur, primùm in menſa apponatur, iuxta vulgatos hoſce verſiculos.

Sal. *Sal primò poni debet, primóque reponi.*
Non bene mẽſa tibi ponitur abſq; ſale.

Secundò recẽſentur duo commoda ſalis. Primum eſt, ſalem reſiſtere veneno. Cuius duplex poteſt adſignari cauſa, vel quia ſal exiccatum cùm ſit, ſiccitate ſua exiccet humiditates, vnde ſequi ſolet corruptio. Gale. lib. II. de ſimpl. Medic. facult. Nam ſal, inquit, quicquid in corporibus humidum ineſt, id quodam modo abſumit, & quod reliquum eſt ſubſtantiæ ſolidæ, adſtrictione cõtrahit: ac proinde etiam conditura ſua carnes ſeruat, & à putredine tuetur: vel quòd ſal exiccet & reprimat humiditates à corpore

pore extrahēdas, poróſque claudat, & per consequens penetrationem veneni, quæ fieri ſolet per poros, prohibeat. Secundum eſt, ſalem cibis ſaporem inducere. Nam quotidiano diſcimus experimento, nulla cibaria ſine ſalis commixtione ſapere.

Tertio loco enumerantur & nocumenta ſalis ſiue cibariorum nimis ſalſorum. Primum eſt ea vrere, id eſt, lædere viſum, & itidem duplex cauſa adſignari poteſt: vel quòd res nimium ſalſæ vehementer exiccātes inimicæ ſint oculis, viſus inſtrumentis. Oculi enim ſunt de natura aquæ, vt teſtatur Ariſtot. cap. 2. de ſenſu & ſenſibili: vel quòd cibaria admodum ſalſa, pruritū excitent & mordicent, à cibariis autē mordicatiuis in ſtomacho exiſtētibus eleuantur & fumi mordicatiui, mordicatione ſua oculis plurimum nocentes, ipſóſque rubefaciētes. Vnde videmus ebulliētes ſalem rubros ferè habere oculos. Secundum eſt, cibaria ſalſiora imminuere ſperma. Quia multum exiccant omnes humiditates, vnde etiā ſperma exiccatur & imminuitur. Tertium eſt, generare ſcabiem, quia ſal humorem gignit acutum, mordicatiuum, & aduſtum, vnde ſcabies naſcitur. Quartū eſt, augere pruritum, quia generat humorē mordicatiuū &

pruritiuum.

pruritiuum. Horum 4. nocumentorum meminit Rhazes 3. ad Mansorem cap.17. Eorum, inquit, sanguinem, qui multam ex eo sumunt quantitatem, adurit, visum quoque debilitat, atque sperma minuit: generat pruritum & scabiem. Persalsa præterea gignũt serpiginem, impetiginem, morpheã, & lepram in dispositis, & vias vrinæ diu continuata excoriant. Moderatè tamen salsa fastidium auferunt, ciborum adpetentiã faciunt, atque acuunt.

DE SAPORIBVS.
Cap. LIII.

HI feruore vigent tres, salsus, amarus, acutus.
Alget acetosus, sic stipans, ponticus atque.
Vnctus & insipidus, dulcis, dant temperamentum.

Hoc loco recensentur cuiusq; saporis qualitates. Et primò dicitur hos tres, salsum, amarum, & acutum, calfacere corpus vtentis. Dein hos treis: acetosum, stypticum, & ponticum infrigidare. Tertiò verò loco, hosce

hosce tres: unctuosum, id est, pinguem, dulcē, & insipidum, quem Græci ἄποιον, id est, qualitatis expertem, esse temperatos, adeo ut corpus neque refrigerēt neque calfaciāt. Auicen. 2. Canon. Tract. 1. cap. 3. Octo sunt, inquit, veri sapores, qui sequuntur insipidū, ut sunt dulcedo, amaritudo, acuitas, salsedo, acetositas, ponticitas, stypticitas, & unctuositas. Enumerando tamē insipiditatem pro sapore, sicuti fit hoc loco, erunt nouē sapores. Accipitur autem sapor pro omni eo, quod gustu diiudicatur. Horum tres sunt calidi: salsus scilicet, amarus, & acutus. Auicenna ibidem, Acutum, inquit, est calidius, dein amarū, ac dein salsum, quoniam acutū est fortius ad resoluendum, incidendum, & abstergendum, quàm amarum, & inde salsum est sicut amarum confractum cum humiditate frigida. Tres sunt frigidi, scilicet acetosus, stipās, id est, stypticus, & pōticus. Ponticus tamen cæteris frigidior, dein stypticus, hinc acetosus. Et propter hoc in omnibus fructibus qui dulcescunt, prius est pōticitas vehementis frigidationis, dein postquam per calorem solis digestiuum, aliquo modo digesti sunt fructus, sentitur in eis stypticitas, & declinant ad acetositatem, sicut agresta, & tandem dulcescunt. Acetosum

Sapores octo.

Sapor.

Acetosum. verò, quamuis sit minus frigidum quàm stypticum, tamen propter subtilitatem & penetrationẽ suam in pluribus maioris est infrigidationis. Ponticum & stypticum, eodem Auicenna teste, sunt in sapore propinqua, sed stypticum nihil contrahit linguæ præter superficiem extimam, Ponticum verò contrahit & exasperat & superficiem extimam, & interiora eius.

Pōticum.

Postremò verò, saporum tres sunt temperati, id est, non excedentis caliditatis siue frigiditatis, dulcis scilicet, vnctuosus, & insipidus. Dulce enim licet calidum sit, tamen in eo nō apparet fortitudo caliditatis, sicut dicit Rhazes 3 ad Mansorem cap. 1. Porrò vnicuique sapori propriæ adsignantur operationes, sicut testatur Auicen. & Rhazes.

Operationes enim dulces, inquit Auicen. sunt digestio, & lenificatio, & multiplicatio nutrimenti, & natura diligit ipsum, & virtus attractiua attrahit ipsum. Et Rhazes inquit: qui dulci vsus fuerit, multa bilis in eo generabitur & sanguinis multitudo, oppilationes quoque generat, & apostema in hepate & splene: & præcipuè si hæc mēbra ad hoc fuerint præparata, ventris itidem fluxus ex eo sequitur, & mollificat stomachum. Pectori verò & pulmoni confert,

corpus

corpus itidem impinguat, & augmentum ſpermatis tribuit.

Operationes verò amari (ſecundũ Aui.) ſunt abſterſio, & exaſperatio. ſecundũ Rhazen amarum calfacit & deſiccat fortiter, citóque ſanguinem ad aduſtionem & malitiam perducit, bilem quoque rubeam in ſanguine augmentat.

Operatio pontici, iuxta Auicennæ ſententiam, eſt contractio, ſi ponticitas fuerit debilis: aut expreßio, ſi fortis.

Operationes ſtyptici, ſecundũ Aui. ſunt cõtractio, inſpiratio, induratio, & retẽtio. Secũdũ Rha. verò, ſtypticũ corpus infrigidat, & deſiccat, carnium quoq; ac ſanguinis minorationẽ facit ſi quis eo multoties vtatur, ſtomachũ cõfortat, ac vẽtrẽ ſecũdũ plurimũ cõſtringit, & ſanguinẽ generat melãcholicũ. Videtur autẽ Rhaz. põticũ ſub ſtyptico cõprehẽdiſſe, quia de Põtico nihil expreßit.

Operationes vnctuoſitatis, ſecundũ Auicen. ſunt lenificatio, lubrificatio, & coctio, id eſt, digeſtio parua. Secundum Rhaz. vnctuoſum ſtomachum mollificat, & ventrem fluere facit. Ac ſatietatem adfert, antequã homo cibi quãtitatem ſibi neceſſariam adſumat, & calfaciat, maximè tamen febricitantes, vel habentes hepar, vel ſtomachũ,

calida. Corpus præterea humectat atque lenit. Phlegma verò auget, & cogitationē reddit hebetem, & auget somnum.

Operationes acuti, secundum Auicennā, sunt resolutio, incisio, & putrefactio. Secūdum Rhazen verò, acutum calorem auget, & corpus velociter inflammat, ac sanguinem adurit, ipsúmque prius in bilem mutat rubeam, postea in nigram.

Operationes salsi, secundum Auicen. sunt abstersio, ablutio, exiccatio, & prohibitio putrefactionis.

Operationes acetosi, secundū Auicennā, sunt infrigidatio & incisio. Secundum verò Rhazen, acidū bilem rubeam & sanguinē reprimit, atque ventrē stringit, si stomachus & intestina munda fuerint. Si autē phlegmatis in eis fuerit multitudo, ventris efficit fluxū, & corpus infrigidat, virtutē quoque debilitat digestiuā, propriā in hepate. Neruis verò, & neruosis membris nocumentum adfert, & corpus desiccat, virtutem autem appetitiuam excitat. De operationibus insipidi, dicit Rha. aliquod esse insipidū, quod magis nutrit, scilicet quod æqualitati vicinum est. Aliud verò, quod tēperatè infrigidat, cū quo multa fuerit humiditas, humectabit. Cùm autem fuerit siccū, desiccabit.

DE

DE VIPA.
Cap. LIIII.

BIs duo vipa facit, mundat dẽtes, dat acutum
Visum, quod minus est implet, minuit quod abundat.

Quatuor hîc recensentur cõmoda vipæ. Primum est, vipam mundare dentes. Quia propter panem diutius dentibus inhærentem quàm vinũ sine pane, limositas illa dẽtibus inhærens, vnde luridi dicuntur dentes, à vino melius consumitur & abstergitur. Secundũ est, vipam acuere visum, quia reprimit malos fumos ad cerebrum ascendentes, ac sua commixtione spiritus visiuos obfuscantes. Digerit enim materias malas stomacho inhærentes. Tertium est, vipam cruda digerere, quia claudit orificium stomachi, & confortat digestionem. Quartum est, vipam superfluè digestum ad temperamentum reducere. Et hoc maximè veritatem habet de vipa panis cum vino, dum modò panis primò sit assatus, aut supra prunas exiccatus. Vipa dicitur vulgò, ein Vvein suppe. *Vipa.*

DE DIAETA.

Cap. LV.

OMnibus adſuetã iubeo ſer-
uare diætam,
Approbo ſic eſſe, ni ſit mutare
neceſſe.
Hippocrates teſtis, quoniam ſe-
quitur mala peſtis.
Fortior eſt meta medicinæ certa
diæta,
Quam ſi non cures, fatuè regis,
& male cures.

Hic præcepta quædã traduntur de diæta. Quorum primum eſt, omnibus conuenire, vt ſeruent cõſuetam diætam. Per diætam verò intelligitur adminiſtratio cibi & potus. Ratio *eſt, quia tranſgreßio à conſuetudine nocet nocumento magno. Cõſuetudo enim eſt altera natura: quod ergo diu adſuetũ eſt, in naturam ferè tranſiuit: quẽadmodum igitur naturam cuſtodire oportet, ita & conſuetudinem, præcipuè ſi laudabilis fuerit.* Et *quemadmodum ſeruanda eſt cõſueta adminiſtratio cibi & potus, ita*

Diæta.

Conſuetudo.

& consuetudo aliarum rerum non naturalium eadem ratione. Vnde si quis consuetus multum laborare, velit hanc consuetudinem immutare, ocióque indulgere, minúsve laborare, vel aliud laboris genus adsumere, idq; alio & tempore & modo, ille proculdubio multum ex hoc debilitabitur. Idem intelligendum de cibo & potu, somno & vigilia, repletione & inanitione, & animæ accidentibus. In quibus omnibus obseruanda est cõsuetudo, si sit laudabilis, vel parum laudabilis siue indifferens in bonitate & malitia, respectu illius ad quod fieri debet permutatio.

Sciendum autem hoc loco debiles & senes facilius ferre consuetos labores, quàm forteis atque iuuenes inconsuetos, id quod his verbis confirmat Hippoc. lib. 2. Aphoris. 49. Qui consueti solitos labores ferre, & si fuerint imbecilles & senes, non cõsuetis, fortibus atq; iuuenibus facilius ferunt. Quod verò dicit, inquit Philotheus, tale est. Sunt autem quidam, hic quidem senex, hic autẽ in vigore ætatis, vterq; incipit fodere terrã, & seni quidẽ fodere bene cedit, illi autẽ qui in ætatis vigore est, minimè: illi quidẽ ob consuetudinẽ, etsi imbecillis, huic autem ob inconsuetudinẽ, etsi robustus sit.

Notionem enim vniuersalem esse oportet, quòd exercitatæ partes aliis fiunt robustiores, & propter hoc facilè subeunt consuetos labores. Secundum est, malam pestẽ, id est, maximum incommodum sequi permutationem consuetæ diætæ, vt testatur Hippoc. lib. 2. de victus rat. in morbis acut. nisi fuerit necesse eam permutari, quando est illaudabilis, ita vt inde sequantur pessimæ egritudines, qualis est prandium siue cœnam prauis cibis terminare. Huiusmodi enim consuetudinem necessarium est corrigi & permutari, non quidẽ subitò, sed paulatim & ordinatè. Nam omnis subita mutatio vehementer nocet, maximè si à consueto ad inconsuetum fiat permutatio.

Subita mutatio nocet.

Deinde etiam necesse est eam permutari, ne si fortè ad inconsueta fiat translatio, sequatur læsio. Nam qui se ad omnem diætam adsuefacit, minus lædetur, cùm se ad inconsueta transtulerit. Idem etiam intelligendum de aliis rebus nõ naturalibus, id quod testatur Hippoc. lib. 2. Apho. 50. Quæ ex longo tempore consueta sunt, etsi deteriora sunt, insuetis minus molestare solent. Oportet igitur ad ea insueta permutari. Vnumquodque enim ipsorũ, inquit Philosophus, consuetũ effectũ minus lædit, eò quòd

natura quidem magis innocuum, ſed in cõſuetudinem nondum venerit: vt conſuetus comedere manna, in boni mutatione cibi iniuria adficitur, propter deſuetudinem: & conſuetus bibere aquam, ſi in meri potionẽ mutauerit, læditur, quoniam à conſuetudine aberrat. Sic & in his quæ particularia ſunt. Similiter autem oportet & ad inſueta permutare, vt ſi quando fortuna coëgerit, ea ferre poſsimus, eum enim qui vſus eſt multo nutrimento, oportet & parum comedere, vt cauſa adueniente ferat & illius vſum.

Quapropter quiſque cauere debet, teſte Rhaze lib. 4. cap. 10. ad Man. ne alicuius rei ſibi conſuetudinem faciat, quam ipſum obſeruare oporteat, ex cuius obſeruatione conſtrictionem patiatur. Vt ſi quis vno cibo conſuetè ſemper vtitur, vel aliquo potu, vel omnino ab eis abſtineat, vel dormire, vel coire conſueſcat: & ex aliquo iſtorum grauiter conſtringatur, maximum incurrit nocumentum, ſi ab eis abſtinuerit.

Quapropter quiſque corpus ſuum ſic diſponere debet, vt caloris & frigoris patiens eſſe poſsit, & ad motiones & cibaria ſibi neceſſaria aptũ reddatur, & vt ſomni & vigiliarum horas, atque manſiones & domos

domos ſine læſione permutare poßit. Fortaßis enim ex neceßitate hoc aliquando agere cogetur. Quod quidem fieri poterit, ſi conſuetudo non obſeruetur ad vnguem, ſed interdum ad inconſueta tranſeamus.

Cõſuetudo variãda.

Tertium eſt fortiorem ac potiorem metam medendi eſſe certam diætam, quam ſi medicus non curauerit, ac aliã indebitam adminiſtrauerit, fatuè regit ægrum, & malè curat.

Alimẽtorũ triplex genus.

Eſt porrò triplex diæta, ſiue alimentorũ genus. Alimentum ſcilicet plenum, alimentum modicum, alimentum tenue. Alimentũ plenum, eſt ſanorum cibus, qui non ſolùm vires conſeruat, ſed etiam auget. Alimentũ modicũ ad ſanos etiam ſpectat, vireis quidem conſeruat, ſed non auget. Alimentum tenue, id eſt, quod vires imbecilleis reddit. Hoc verò alimentum quod tenue dicitur, ab autoribus in multas partes diuiſum eſt, nempe in tenue ſine aliquo addito in tenue exquiſitè, in tenuißimum, & in tenuißimũ in extremo. Tenuißimum in extremo alimentum eſt, nihil penitus dare. Et ſi dubitabis, quomodo alimentum dici poteſt, cùm nihil datur? Reſpõdemus, ita eſſe illius vocabuli vſum apud Medicos. Tenuißimum verò eſt, dare melicratum ſolum. Tenue eſt,

ptiſanæ

ptisanæ succus: qui si etiam in pauca quãtitate sumatur, est exquisitè tenuis. Sanos homines non solùm conseruare debemus, sed etiam augere, propterea victus plenus illis competit. Qui verò ægritudine longa laborant, vires augere non debent, sed bene conseruare: aliter vsque in finem non sufficerent. propterea hi modicè victu cibãdi sunt, qui etiã sanis cõuenit, in quibus vires augere non cupimus, sed illas solùm cõseruare animo est. Quos etiã in longo morbo totis viribus seruare studemus. Cùm verò ægritudo breui terminatura est, si quarto die finiri debeat, aliquid dare non est opus. Imò si vires sufficerent, & in septimo terminatura esset, nihil penitus dãdum esset, nisi post illum terminum. Vnde Hippoc. libro 1. Aphoris. 6. Extremis morbis, extrema exquisitè remedia optima sunt.

DE ADMINISTRATIONE *Medicinæ. Cap.* LVI.

QVale, quid, & quando, quãtũ, quoties, vbi dando
Ista notare cibo debet medicus bene doctus,

Ne malè conueniens ingrediatur iter.

Hîc traditur à medico sex esse consideranda in administranda diæta. Primum est, Quale, Id est, cuius qualitatis debeat esse cibus, quia in ægritudine calida exhibẽdus est cibus frigidus, in frigida calidus, in humida siccus, in sicca humidus. In sanis tamen simili, non contraria qualitate præditus cibus exhibendus est, vt testatur Galen. *in arte* Medic. *cap.* 86. *Calidiora corpora, calidioris victus rationem exposcunt, frigidiora frigidioris.*

Secundum est, Quid, id est, cuius substãtiæ, athletis enim & rusticis, cùm vehemẽtius exerceantur, cibus exhibendus est crassus, quia vis digestiua eorum est fortis, nec conuenit eis cibus subtilis, vt pullorum, caponum, vitulorum siue hædorum caro: hæc enim in eis vel adureretur, vel nimis citò digereretur, quare & sæpius comedere cogerẽtur: nobilibus verò & ocio deditis, exhibendus est cibus subtilis substantiæ. Virtutẽ enim digestiuam habẽt debilẽ, quæ nequeat crassis resistere cibis, eiusmodi sũt carnes porcinæ salsæ, & bouinæ, & pisces sole exiccati. Similiter in ægritudinibus acutis

tenuior;

tenuiori diæta vtẽdũ eſt, quàm in Chronicis, id eſt, longis, vt quartanis.

Tertium eſt, Quando, id eſt, quo tempore ſit adſumendus cibus, quia in ſanis maximè conſeruanda eſt conſuetudo. Vnde & in æſtate hominibus mane ſurgentibus, & conſuetis bis duntaxat in die cibum accipere, comedendũ eſt hora decima, vel paulò antè, nec expectandum dũ meridies prætereat, ob nimium diei calorem. Similiter cœnandum eſt eis hora ſexta, vel paulò pòſt. In hyme verò prandendum eſt hora vndecima, ob longitudinem ſomni: & deinde cœnandũ hora ſeptima vel paulò pòſt, & maximè ſeruanda eſt conſuetudo. In ægris quoque habenda ratio temporis, ſiquidẽ in febribus in ipſo paroxyſmo, vel paulò antè, ſiue pòſt, abſtinere, id eſt, non nutrire oportet. Quia ſi ſtatim antè paroxyſmũ vel in ipſo paroxyſmo detur: natura impeditur, ac diuertitur à digeſtione materiæ febris, eò quòd digeſtioni cibi magis ſit intẽta. Neque dandum eſt ſtatim poſt paroxyſmum. virtus enim adhuc nimis debilitata eſt ex paroxyſmo immediatè præcedenti. Exhibendus igitur cibus tam diu antè paroxyſmum, vt poßit digeri, priuſquã ille accedat. Vel exhibendus eſt aliquantulo tẽpore

pore poſt paroxyſmum. Et hoc niſi timeatur magna debilitas virtutis: tum enim dãdus eſt cibus etiam quocunque tempore. Nam vbi caſus aliquis interuenerit, robur naturæ diſſoluens, nutrire cogimur, inquit Galenus comentario. 9. libro primo Aphoriſ.

Quartum eſt, Quantum, id eſt, quantitas ſumendi cibi, quæ in æſtate, vt dictum eſt, minuetur: Quia calor naturalis tũ debilior eſt ob nimias reſolutiones. In hyeme verò cibus augendus eſt, virtute digeſtiua tunc forti exiſtente, cùm calor naturalis ſit vnitus propter frigus circumſtans. Suprà cap. 19.

Quintum eſt, Quoties, id eſt, quoties in die ſit cibus exhibendus. Eſt ergo æſtate ſæpius exhibendus quàm hyeme, autumno, ſeu vere, ſed minori quantitate, vt dictum eſt ſuprà. Similiter virtute digeſtiua exiſtẽte debili, ſæpe parua quantitate cibus exhibendus eſt. Exiſtente autem forti, exhibendus eſt quantitate magna, ſed rarius.

Sextum eſt, Vbi, id eſt, in quo loco, quia cibus non eſt ſumendus in loco frigidiori, neque nimis calido, ſed temperato.

DE

DE CAVLE. Des Choux.

Cap. LV.

IVs caulis ſoluit, cuius ſubſtantia ſtringit,
Vtraque quando datur, venter laxare paratur.

Tria his determinantur verſibus. Primum eſt, ius caulis, id eſt, aquã caulium, id eſt, braßicæ, & maxime primæ ebullitionis, ſoluere ventrem, quia in foliis & partibus exterioribus caulium ineſt virtus quædam nitroſa, abſterſiua, debiliter inhærens, & facilè per puſillam decoctionem, ſiue ebullitionẽ ſeparabilis, quæ ſparſa per aquã, ipſam laxatiuam facit. Vnde & prima aqua decoctionis caulium magis aluum deiicit, quàm ſecunda: quia virtus illa nitroſa, abſterſiua, per primam decoctionem plurimũ ſeiungitur. Secundum eſt, ſubſtantiam caulium à decoctione ventrem ſtringere, quia omnis virtus laxandi per decoctionẽ ablata eſt, & remanet ſubſtantia terrea, ſicca, quæ ventrem ſtringit. Tertium eſt, vtrãque ſimul ſumptã, laxare ventrem. Ratio, quia virtus abſterſiua & nitroſa in aqua manet, vnde etiã laxat. Sciendũ autẽ primò,

caules

caules generare humorem melancholicum & somnia terribilia, officere stomacho, parum nutrire, visum obtenebrare, somnum conciliare, menstrua & vrinam prouocare: & hæc partim colliguntur ex Auicen. 2. Can. capit. 148. Partim verò ex Rhaze 3. ad Mans. cap. 18.

Ebrietatē tardare.

Deinde verò sciendum, vsum caulium, siue decoctionis, siue seminis, prohibere, & retardare ebrietatem, vnde Arist. 3. sectione, problemat. 12. quærit quid est, cur braßica sedet crapulam? Idem testatur Rhazes & Auicēna locis citatis. Respondetur secundùm nonnullos ex caulium comestione eleuari fumos admodū craßos, qui incraßent fumositates vini, & impediant ob craßitiem ad cerebrum penetrare. Aristo. verò hanc adsignat causam, quia omne quod trahit humidum vinosum ad se, ac à corpore reuellit, & corpus refrigerat, curat crapulam: caulis est huiusmodi, ergo caulis curat crapulam. Quòd autem caulis sit huiusmodi, probatur, quia per succum caulis, cùm sit diureticus, detrahuntur humores vinosi indigesti à toto corpore, & in vesicam deferuntur, & ipsa substantia frigida, styptica ac terrea suprà in ventriculo remanēs, corpus refrigerat, quo fit vt tenues humores ad vesicā labantur.

labantur. Cùm itaque humor vtrinque educatur, corpúsque refrigeretur, rectè per cõsequens curatur crapula. Euenit ad hæc, vt cùm humores deorsum se trahunt, atque excernunt, flatum etiam secum deducant, qui si per vinum liceat, in caput se efferens, grauitatem creat, & crapulam. Sin autem deorsum se vertit, corpúsq; ob causam prædictam refrigeratum est, dolor crapulæ omnis tollitur.

DE MALVA. La Mauve
Cap. LVIII.

DIxerũt maluã veteres, quòd molliat aluum.
Huius radices rasæ soluunt tibi feces.
Vuluam mouerunt, & fluxum sæpe dederunt.

Hîc tres enumerantur proprietates, siue effectus Maluæ, quorum primus est, ipsam mollificare vẽtrem. Est enim vnum ex quatuor emollientibus, quæ sunt: Malua, Althæa, Brãcha vrsina, & Mercurialis: vnde ferè clysteres fiunt lenitiui, & mollificatiui Maluæ.

ad fecum induratarum eductionem. Est autem duplex Malua, quædam enim floribus est sanguineis, quædã verò albis: & in hac maior est vis emolliendi quàm in prima.

Secundus effectus est, radices maluæ rasæ educere feces, & hoc quando inde fiunt glandes, id est, suppositoria, quemadmodum fieri solent ex radice Mercurialis.

Tertius est, Maluam ciere menstrua in mulieribus, & hoc ob nimiam eius humectandi ac lubricãdi facultatem, qua venæ matricis facilius à sanguine acuto funduntur. Tradit Platearius, Maluam certo experimento menstrua prouocare.

DE MENTA.
Cap. LIX.

La Mente tue les Vers qui l'engendrent dans les intestins des hommes

MEntitur mẽta si sit depellere lenta
Vẽtris lumbricos, stomachi vermésque nociuos.

Hic habetur vnicũ præceptum de Mẽta, quòd scilicet hoc nomine dignanda nõ sit, nisi vim habeat auferendi vermes ventris & stomachi. Est enim magnæ & fortis aromaticitatis, & vehemẽtis amaritudinis

dinis, vnde non secus atque Absinthiũ vermes interficit. Exhibenda est autem decoctio eius velut Absinthii quoque, & non substantia. Aduertendum tamen, eò quòd admodum sit calida & sicca, sanguinem adurens, nõ competere vt cibum, sed potius vt medicinam. Stomachum enim confortat, & calfacit, sedat & digerit singultũ, prohibet vomitum phlegmaticum & sanguineum, Venerem prouocat, ob inflationem quæ est in ipsa, & humiditatẽ hortulanã: prohibet sputũ sanguinis, & propria quadam virtute cõfert aduersus morsum canis rabidi. Coire lac densariq; in caseum non patitur, si folia eius lacti immergantur, teste Dioscor. lib. 3. Et Auic. 2. Can. cap. 499.

DE SALVIA. *La Sauge.*
Cap. LX.

CVr moriatur homo, cui saluia crescit in horto?
Contra vim mortis non est medicamen in hortis.
Saluia confortat neruos, manuumque tremorem

Tollit, & eius ope febris acuta fugit. Testicules de castor

Saluia, Castoreúmque, Lauēdula, Primula veris.

Nasturt. Athanas. hæc sanāt paralytica membra.

Saluia saluatrix naturæ conciliatrix.

Hoc loco tria imprimis pertractantur. Primò innuitur magnam esse vtilitatē saluiæ. Quæritur autem per modum dubii, cur homo moriatur, in cuius horto crescit saluia? Respōdetur secundo versu, nullam medicinam crescere in hortis, quæ mortē prohibeat. Secundò tradūtur tres effectus saluiæ. Primò enim cōfortat neruos, quia exiccat humiditates, quibus ii impediuntur & relaxantur. Deinde remouet tremorē manuum, quia, vt dictū est, neruos confortat: Quicquid autē cōfortat neruos, tremorē tollit, cùm generetur tremor ex debilitate neruorū. Vnde senes quidā & vetulæ potui & cibo suo folia saluiæ imponunt. Tertiò verò remouet febrē acutā, id est, impedit ne inuadat, cuius hæc potest aßignari causa: quia

Tremor manuum.

exiccando

exiccando humores, impedit putrefactionẽ, vnde febris acuta sequi solet.

Est porrò saluia calida & sicca, neque per se in victus salubris ratione exhibẽda. Attamẽ cùm neruos plurimum corroboret, homines in sanitate tuenda, ea dupliciter vtuntur. Primò quidem vinum inde conficiunt, quod saluiatum vocant, quo plurimum vti solent in principio mensæ. Cõfert autẽ hoc ipsum paralyticis, & epilepticis, si quidem modicè sumatur. Præcipuè tamẽ, si exhibeatur post purgationem ex sumpto medicamine.

Saluiatũ vinum.

Deinde vtuntur saluia in salsis: excitat enim appetitum, & maximè cùm stomachus humoribus prauis, crudis, & indigestis repletus fuerit.

Est autem Saluia duplex: Domestica scilicet latis & magnis foliis: & quæ vulgò nobilis dicitur, foliis minoribus & strictioribus, Græcis ἐλελίσφακος dicitur.

Tertio loco enumerantur sex res medicinales pro curatione paralysis, Saluia videlicet, Castoreum, Lauendula, Primula veris, Nasturtium, & Anthanasia. Hæc enim curant & sanant membra paralytica. De Saluia quidẽ patet ex iam dictis, quia confortat neruos: vel quia calida est, & sicca,

cõsumit materiam phlegmaticã neruis imbibitam, vnde paralysis nascitur. Castoreũ vero neruos maximè confortat, calfacit, & exiccat De quo Auicenna Canon. 2. cap. 126. Est, inquit, subtilius, & fortius omni quod calfacit & exiccat, confert neruis, & calfacit, & confert tremori & spasmo humido, & stupori, & Paralysi. Neq; est aliud magis iuuatiuũ vẽtositatum in aure quàm ipsum, cùm ex castoreo accipitur quantum est lens vna, & dissoluitur in oleo nardino, & distillatur in eam. Plures alios effectus eius habet Auicenna ibidẽ, & Diosc. lib. 2. Est autẽ castoreũ, testiculus animalis, quod Castor, siue Fiber dicitur. Oleũ de castoreo non minus valet in paralysi quàam ipsum Castoreũ, si post euacuationẽ materiæ exhibeatur: tunc enim materiam residuã consumit, & neruos confortat. Lauendula quoque fragrantia sua neruos confortat, & calfactione paralysis materiam consumit. Idẽ præstat & Primula veris, quia & ipsa sua fragrantia & calfactione neruos confortat Vnde nõnullis etiã herba paralysis appellatur. Dicitur autem Primula veris, quòd vna sit ex primis aromaticis in vere prodeũtibus. Nasturtiũ est calidũ & siccũ, extenuat, incidit, & resoluit, qua ratione

Castoreũ.

Lauendula.

Primula veris.

etiam

etiam materiã paralysis aufert. Auicẽna 2. Canon. cap. 613. testatur cõferre omni mollificationi neruorũ, quia calfaciat, & educat phlegmata, & emũdet neruos à phlegmate. Quare consulunt medici, vt in ieiunio quadragesimali edatur Nasturtiũ, propter cibos phlegmaticos, qui per id tẽpus exhiberi solẽt. Est autem Nasturtium herba vulgaris, & vbique nota. nascitur in locis frigidißimis, scilicet petrosis, & aquosis, vbi multi sunt fontes. Athanasia verò alio nomine dicitur Tanacetum, gallicè tenasie, ou herbe aux vers. Teutonicè Reinfarn, oder Vvurmkraut. Hæc herba virtutẽ habet purgãdi phlegmatis, & caliditate sua exiccat neruos, expurgat etiã vermes, & materiã vnde illi generãtur. Quare Galli magna ex parte in diebus Paschalibus vtũtur Athanasia frixa cum ouis, ad purgationem phlegmatum, ex piscibus in ieiunio quadragesimali collectorum, vnde facilè vermes in dispositis & aptis generari possunt. Vltimo versu traditur Saluiam dici, quasi naturæ saluatricem.

Nasturtium.

Athanasia.

DE RVTA. Cap. LXI.

NObilis est ruta, quia lumina reddit acuta,

Auxilio Rutæ vir quippe videbis acutè.
Ruta comesta recens oculos caligine purgat.
Ruta viris coitum minuit, mulieribus auget:
Ruta facit castum, dat lumen, & ingerit astum.
Cocta facit Ruta de pulicibus loca tuta.

Recensentur hic quatuor effectus Rutæ. Primus est, ipsam visum acuere, & præcipuè succum eius, vt testatur Auic. 2. Can. *cap.* 578. *De hoc effectu vide suprà cap.* 13. *Secundus est, Rutam minuere in viris cocundi desiderium, augere verò in mulieribus. Ratione enim caliditatis suæ exiccat & minuit sperma in viris, eò quòd subtile sit & aereũ, sed in mulieribus extenuat & calfacit, cùm sit aquosum & frigidũ, eásq; magis ad coitũ incitat, ob subtilitatem & caliditatẽ. Tertius est, Rutã facere astutiã, id est, apprehensionẽ facilẽ, & inuẽtionem alicuius medii in causa subtili: Calfactione* — *Visus.*

enim

enim & exiccatione attenuãtur, & acuuntur spiritus, fouetur & illustratur ingeniũ. Quartus est, decoctione rutæ depelli pulices, si ex ea domus irroretur: interficit enim eos, vt vno ore omnes medici testantur. Auic. 6. 4. Tract. 3. cap. 11. Quando, inquit, aspergitur domus cum infusione colocinthidæ, saliunt pulices, & fugiunt. Et similiter ex decoctione rubi. Pulices.

Et dixerunt quidã, quando ponitur sanguis hirci in fouea in domo, aggregãtur pulices apud eum, deinde moriũtur, & similiter aggregantur super lignum linitum ex adipe ericii, & fugiunt ex odore caulis & foliorum Oleandri. Nihil autem æquè deiicit pulices, atque res fortis odoris, velut Ruta, Menta, Mentastrum, Lupulus, præcipuè tamen feces, vel vrina equi. Irroratio quoque domus ex decoctione seminis rapæ occidit pulices. Ex suffitu etiã cornu taurini fugiunt pulices. Pro captione tamen eorum, melius nihil est, quàm impositio pauci bõbycis in lecto, in illo enim congregãtur. Contra pulices.

graisse d'Erisson. les feuilles de chou et d'olivier. La rue, la Mente, La Mente sauvag, Le houblon, La lie de vin, l'urine de cheval &c.

soie

DE CEPIS. Cap. LXII.

oignons.

DE cepis medici non consentire videntur.

Pellitis

Fellitis non esse bonas ait ipse
Galenus.
Phlegmaticis verò multum putat esse salubres,
Non modicum sanas, Asclepias
asserit illas.
Præsertim stomacho, pulchrúmque creare colorem.
Contritis cepis loca denudata
capillis
Sæpe fricans, capitis poteris reparare decorem.

Cholericis.

Agitur hoc loco de cepis, de quibus adnotantur quinque. Primum est medicos dissentire de natura ceparum, quibusdam enim videtur eas conferre phlegmaticis, alijs contrà. Rhaz. nanque 3. ad Mansorem ca. 18. testatur eas generare humores superfluos in stomacho, & phlegma. Secundum est, Galenum probare, cepas multum obesse cholericis, idq; facit lib. 2. cap. vltimo, de alim. facul. Acriū, inquit, omnium, vt ceparum, allii, & porri aßiduus vsus est euitandus, præsertim ei, qui naturæ est plus æquo

biliosæ,

biliosæ, quoniã quidem solis pituitosum humorẽ, aut crudũ & crassum, & glutinosum colligentibus, huiusmodi edulia sunt accommodata. Est autẽ cepe, vt tradit Auicen. 2. Can. cap. 123. ex tertio ordine excalfacientium, vt Gal. lib. 7. de simpl. fac. ex quarto. Quare nocet calidis, vt sunt cholerici. Fellitos autẽ dixit biliosos. Tertiũ est, cepas plurimũ prodesse phlegmaticis, quia excalfaciunt, incidunt, extenuãt, abstergũt, & aperiũt, vnde phlegmaticos & glutinosos humores in phlegmaticis coaceruatos digerunt, incidũt, abstergũt, & extenuãt. Quartum est, cepas cõferre stomacho, ipsum enim à phlegmatibus exonerant, & calfaciunt. Auicen loco citato, Et quod, inquit, ex cepis comeditur propter suã caliditatẽ, confortat stomachũ debilem, & appetitũ facit. eadẽ etiã ratione decorant colorem faciei: Fieri enim nequit, vt color faciei sit viuidus ac floridus, stomacho phlegmate & humoribus prauis ac crudis referto. Quintum est, locis glabris ac depilatis pilos siue crineis restituere, si coctæ cõterãtur, & inde loca perfricẽtur. Et hoc verũ est, si depilatio acciderit ex pororũ oppilatione, & corruptione materiæ sub cute. Cepæ enim aperiũt poros, resoluẽdo materiã malã sub cute detentã, ac bonam

Contra caluitię̃. nam in locum attrahendo. Quapropter alopeciæ earum succo conuenientiſsimè perfricantur, vt teſtatur Auicenna 2. Canon. capite citato, & 7.4.cap.6. Vnde infertur capitis decorem reparari per ceparum frictionem, capitis porrò decor pili ſunt. Cepæ præterea Venerem ſtimulãt, appetentiã inuitant, faciei ruborem inducunt, cũ melle eradicant verrucas, ſitim mouẽt, & nocent intellectui. Humorem enim prauum & craſſum generant, ſaliuã multiplicant. Succus earum confert aquæ in oculũ defluenti, & abſtergẽti viſum. Cepæ item tritæ cũ melle & aceto, conferunt morſui canis rabidi, quare quidam addunt hos duos verſus:

> Adpoſitas perhibent morſus curare caninos,
> Si tritæ cũ melle prius fuerint & aceto.

Plura de his diximus ſuprà capite 13.

Du Seneve

DE SINAPI.
Cap. LXIII.

Est modicum granum, ſiccũ, calidúmque ſinapi.
Dat lachrymas, purgátque caput, tollítque venenum.

Hic

Hîc agitur de ſinapi. Primò quidem adſignatur complexio ipſius, quòd videlicet granum ſit puſillum, calidum & ſiccum, & quidem ordine 4. teſte Auicen. 2. Can. cap. 982. Deinde verò recenſentur tres proprietates, ſiue effectus grani ſinapis. Primus eſt, commouere lachrymas, quia nimia caliditate ſua extenuat, & diſſoluit humiditates cerebri, quibus deinde fluentibus proueniunt lachrymæ. Secundus eſt, expurgare caput, cerebrum videlicet mundando, & abſtergendo humiditates phlegmaticas à capite. Expurgat etiam caput, quòd ſternutamenta creat, tritum & naribus admotum, quare apoplecticis quoque auxiliatur eodem modo. Per ſternutamenta enim expelluntur nocumenta cerebri. Semen item ſinapis, caliditate ſua extenuat phlegmata, & diſſoluit ea quibus obſtruuntur meatus cerebri, & generatur apoplexia, vnde colligitur admodum incidere phlegma, conſumere & mundare. Tertius eſt, tollere venenum, id quod teſtatur & Auic. loco citato: Et fugiunt, inquit, ex fumo eius vermes venenoſi.

Caput purgare.

DE

DE VIOLA.
Cap. LXIIII.

CRapula discutitur, capitis dolor atque grauedo.
Purpuream violam dicunt curare caducos.

Referuntur hic tres proprietates, siue effectus violæ. Primus est, violam sedare ebrietatem. Odorem enim habet temperatum, & suauem, & hic maximè confortat cerebrum. Forte autē & validum cerebrū, non facilè ebrietate tentatur, sed imbecillū facillimè. Viola item cùm frigida sit, cerebrum refrigerat, & ineptum reddit ad recipiendos fumos calidos. Secundus est, violam discutere & sedare dolorem ac grauedinem capitis Et hoc verum est, si intelligatur de dolore ex calida causa, vt testatur Auicen. 2. Canon. cap. 726. Et Rhaz. 3. ad Mans. cap. 21. Et Mesues lib. 2. sectionis primæ simplicium, ca. 11. Ratio, quia viola frigida est, & ita repugnans causæ calidæ. Tertius est, violam curare caducos, id est, epilepticos: neque sine causa additum est, Dicunt, quia celeberrimi autores hunc effectum

Ebrietas.

Caput.

fectum violæ non attribuunt. Cuius tamen hæc posset adsignari causa, quòd scilicet ob fragrantiam violæ, confortetur cerebrum, ita vt à paruis nocumẽtis minimè lædatur, & per consequens, nõ incurrat epilepsiam, quæ dicitur parua apoplexia, ex oppilatione neruorum sensitiuorum eueniens. Epilepsia.

DE VRTICA.

Cap. LXV.

AEgris dat somnum, vomitũ quoque tollit & vsum.
Illius semen colicis cum melle medetur,
Et tussim veterem curat si sæpe bibatur,
Frigus pulmonis pellit, ventrísque tumorem.
Omnibus & morbis sic subuenit articulorum.

Septem hîc referuntur effectus vrticæ. Quorum, primus est, vrticam ægris somnũ cõciliare, quia extenuat, incidit, & abstergit phlegma, & crassos humores, quibus natura Somnus.

natura grauatur & somnus impeditur. Secundus est, tollere vomitum & vsum eius. Vomitus enim & nausea, plurimum ex viscoso humore accidũt, quem vrtica incidit. Tertius est, vrticam mederi colicis, quia incidit, extenuat, resoluit, & abstergit humiditatem phlegmaticam, & ventositatem crassam, vnde colica frequentius accidere

Colica. solet. Est autem colica vehemens dolor in intestino laxiori, quod colon græcis dicitur, quemadmodum iliaca siue colos, in tenuioribus intestinis. Quartus est, vrticã curare

Tussis. tussim veterem, & maximè si semina eius in melle temperata fuerint: vrtica enim phlegma viscosum è pectore expellit, teste Rhaz. 3. ad Mans. cap. 28. Auic. 2. Can. cap. 725. Quãdo, inquit, bibitur cũ aqua hordei, mundificat pectus, & quando decoquuntur folia eius in aqua hordei, educũt humores crassos, qui sunt in pectore, sed semen eius est fortius. Quintus est, vrticam pellere frigus pulmonis, & hoc ob caliditatem suam. Sextus est, vrticam sedare & pellere humorem ventris, resoluit enim inflationes, vnde sæpius venter intumescere solet. Septimus est, vrticam subuenire omnibus doloribus

Podagra. articulorum, velut Arthritidi, ischiadi, & podagræ, quando scilicet proueniunt à materia

teria frigida, phlegmatica, crassa: vrtica enim calfacit, incidit, & extenuat materiam phlegmaticam crassam. Vnde etiam, autore Auic. loco citato, excitat coitum, & propriè semen eius cum vino, quod & Gal. adprobat lib. 6. sim. Medi. facult. vbi sic inquit: Sed & quiddã flatuosum obtinẽt, quo & venerẽ extimulãt, & maximè vbi cum musto semen bibitur. Aperit etiã vrtica orificium matricis, & ventrẽ modicè subducit, ipsa duntaxat abstersione, ac veluti titillatione, non purgatione, phlegma & humorẽ crudum educens. Ne verò guttur ex vrtica aut semine eius lædatur, prodest post sumptionem eius bibere aliquantulum olei rosacei. Est autem vrtica calida in principio 3. gradus, & sicca in 2. Auicennæ.

DE HYSSOPO.

Cap. LXVI.

HYssopúsque herba est purgans à pectore phlegma.
Ad pulmonis opus cum melle coquenda iugata,
Vultibus eximium fertur præstare colorem.

Recensentur hoc loco effectus hyssopi. Quorum primus est, Hyssopum purgare & expellere è pectore phlegma. Desiccat enim & excalfacit ordine 3. vehementer abstergit, dissoluit & consumit humiditatem phlegmaticam, & præcipuè respicit partes pectoris, expurgans inde & expellens phlegma. Secundus est, purgare pulmonem à phlegmate eadem de causa. Et propriè quidem, si coquatur cum melle, nam & mel abstergit, vnde augetur abstersio hyssopi. Idem testatur Auicenna 2. Canon. cap. 367. vbi sic inquit: Hyssopus confert pectori & pulmoni, & affectos dispnœa, & veteri tussi, & eius decoctio cum ficubus & melle similiter. Tertius est, præstare bonum & eximium colorem faciei, ídque confirmat Auicenna loco citato. Eius potus, inquit, efficit colorem bonum, & eius gummi abstergit vestigia in facie. Eadem quoque ratione soluendo educit phlegma, & ascaridas, & vermes, eodem Auicenna ibidem teste. Vinum decoctionis eius, autore Plateario, matricem expurgat & abstergit à superfluis humoribus.

D E

DE CEREFOLIO. Cap. LXVII.

ADpositum cācris tritū cum melle medetur.
Cum vino potum lateris sedare dolorem
Sæpe solet, tritam si nectis desuper herbam,
Sæpe solet vomitum, vētrémque tenere solutum.

Hîc recensentur tres effectus cerefolii. Primus est, cerefolium tritum cum melle & impositum, curare cancrum. Idem dicit & Platearius. Est autem cācer, apostema melancholicum, corrodēs partes corporis tam carnosas quàm neruosas. Nomen accepit à fluuiatili cancro. Quemadmodum enim in isto pedes ex vtraque parte sunt corporis, ita in hoc malo venæ oppletæ, & in ambitu tensæ, cācri animalis pedibus omnino sunt similes. Secundus est, cerefolium potum cum vino abscindere dolorē lateris, tormina quoque ventris discutit, quia inflammationē eius ex crassa vētositate, vnde Cancer. Tormina. la dissenterie

S ii prouenit

prouenit dolor, mitigat. Præterea & stomachi ventositatem, omniúmq; aliorũ viscerum soluit, & oppilationem tollit, & ad hoc ipsum efficax est vinum. Tertius est, cerefolium sedare vomitũ & fluxum ventris, quia cùm calidum sit in tertio gradu, & siccũ in 2. materiam illam ex qua vomitus prouenit, digerit & exiccat. Et maximè si vomitus aut solutio ventris fuerit à materia frigida phlegmatica. Prouocat vrinã & mẽstrua, soluit dolorem laterũ, renũ & vesicæ, præcipuè si cũ melicrato exhibeatur.

Vomitus.

DE ENVLA CAMPANA. Cap. LXVIII.

ENula campana, hæc reddet præcordia sana.
Cum succo rutæ, succus si sumitur eius,
Affirmãt ruptis quòd prosit potio talis.

Hìc agitur de Enula campana, quam Græci Elenion vocãt. Referuntur autẽ duo eius effectus, Quorũ primus est, enulam cõfortare præcordia, quo nomine hìc exta in homine,

homine, orificium stomachi, membra spiritus siue anhelitus, & quæcunque cordi vicina sunt, intelliguntur. Idq́; maximè radix eius præstat. Odorata enim cùm sit, manifestum est, eam membra neruosa cuiusmodi est orificium stomachi, corroborare. De mēbris spiritus siue anhelitus, nullum est dubium, quin ex Helenii radice cōfortentur. Vinum enim inde factum, quod enulatum vocant, pectus & pulmonem expurgare & emundare, experientia constat. Approbátque Auicenna 2. Canon. cap. 24c. Eadem deglutita (vt ibidem habetur) cum melle adiuuat ad expuendum, éstque ex iis quæ lætificant & confortant cor. Secundus est, succum enulæ, cum succo rutæ plurimum conferre herniosis, id est, ruptis, quibus intestina in scrotum delabuntur. Maximè verò si hernia fuerit ex vētositate. Hæc enim succo rutæ & enulæ dissoluitur. Confert præterea enula stomacho prauis humoribus referto, aperítque oppilationes hepatis & splenis, vt testatur Rhazes 3. ad Mansorem cap. 18. Confert item omnibus læsionibus & doloribus frigidis, & commotionibus ventositatum, & inflationi, Autore Auicenna loco citato.

Vinum enulatum.

Pouliot.

DE PVLEGIO.

Cap. LXIX.

CVum vino nigram cholerã potata repellit.
Adpositam viridem dicunt sedare podagram.

Hoc in loco duo enumerantur effectus pulegii. Quorum primus est, pulegium, & præcipuè liquorem eius stillatitium, cum vino purgare choleram nigram. Secundus est, pulegium proprietate quadam curare podagram antiquam, nimirum quòd valde excalfaciat, extenuet, & dissoluat phlegma, vnde podagra frequentius generari solet. Est autem ex 3. ordine cùm exiccantium, tum calfacientium, vt adfirmat Platearius. Substantia constat tenui, corroborandi facultate præditum est, id quod ex fragore eius deprehenditur, aperítque ratione substantiæ & qualitatum. Attrahit quoque propter igneam substantiam siue naturam. Consumit etiam ratione caloris & siccitatis. Defectos animo recreat cum aceto naribus obiectum.

Vinum decoctionis eius valet contra dolorem stomachi & intestinorum ex frigiditate vel ventositate.

DE NASTVRTIO. Nasitort, ou

Cap. LXX. Cresson alenois.

ILlius succus crineis retinere fluentes
Illitus adseritur, dentísque leuare dolorem.
Et squamas succus purgabit mel le perunctus.

Hic referuntur tres effectus Nasturtii. *Primus est, Nasturtium sistere defluuium capillorum, si caput succo eius inungatur. vel si aqua vel succus eius bibatur, id quod* Auicenna *quoque 2.* Canon.*cap.*513. *testatur :* Retinet*, inquit, capillos capitis cadentes, bibitum & linitum.* Secundus *est, curare dolorem dentium, & maximè ex causa frigida.* Nasturtium *enim incidit, resoluit & calfacit, vt ostensum est suprà capite* 60. Tertius *est, succum eius*

purgare lichenas & squamas cuti adhærentes, cum melle illitum. Eiusmodi enim squamæ generantur ex phlegmate salso. Nasturtium autem, vt dictum est, omne phlegma purgat. Quare intra corpus adsumptum, prohibet causam squamarum, & easdem, foris illitum, abstersione sua tollit, & maximè cum melle, nam & hoc quoque abstergit. Auicenna præterea & alios effectus enumerat. Exiccat, inquit, putredinem vacuitatis ventris, mundificat pulmonem, & confert asthmati, & ponitur in medicinis & sorbitionibus asthamatis, eò quòd extenuet & incidat. Calfacit stomachum & hepar, confert craßitiei splenis cum melle emplastri modo impositum, conciliat vomitum flauæ bilis, & per inferna eandem educit, augmentũ efficit in coitu: Soluendo educit vermes, & menses ciet.

la Chelidoine autrement l'Eclaire

DE CHELIDONIA. Cap. LXXI.

CAecatis pullis hac lumina mater hirundo,
(Plinius vt scripsit) quamuis sint eruta, reddit.

Notatu

Notatu dignum eſt, quod hoc loco de chelidonia dicitur. Locus autem eſt apud Plin. libro 25. cap. 8. vbi ſic ſcripſit : Animalia quoque inuenire herbas, imprimíſque chelidoniam. Hac enim hirundines oculis pullorum in nido reſtituunt viſum, & quidam volunt, etiam erutis oculis. Eiuſdem meminit etiam libro 8. capite 17. Hiſce quidem verbis : Chelidoniam viſui ſaluberrimam, hirundines monſtrauere, vexatis pullorum oculis illa medẽtes. Dioſc. lib. 2. Sunt, inquit, qui narrant, hirundines matres excæcatis pullis, admota herba, viſum reſtituere. Hinc etiam cognitum eſt chelidoniam oculis hominum mederi, vtique in quibus craſſum quiddam in pupilla colligitur digeſtione atque diſcuſsione indigens. Et ferè in omnia adhiberi ſolet medicamina ocularia. Herba eſt crocei ſucci, cuius inuentionem hirundini attribuunt, quòd pulli eius ſæpius cæcitatem incidant quàm vlli auium pulli. Excrementa enim & feces hirundinũ oculos oblædunt, & cæcitatem pariunt, ídque eis potiſsimum accidit ab excrementis matrum. Cornelius Celſus lib. 6. cap. 6. fabulã putat, per parentes oculos herba reſtitui, qui per ſe ſaneſcant. Chelidonia, teſte Aegineta & Plateario, calida & ſicca eſt 3. ordine,

dine, facultate diſſoluendi conſtat, conſumendi, & attrahendi. Radices tritæ & vulnus ab humore frigido, & humido, ſi æger fumum per os recipiat, ac vinum deinde gargarizet, curant.

Du Saule. **DE SALICE.**
Cap. LXXII.

AVribus infuſus vermes ſuccus necat eius,
Cortex verrucas in aceto cocta resoluit.
Huius flos ſumptus in aqua frigeſcere cogit
Inſtinctus veneris cunctos acres ſtimulantes,
Et ſic deſiccat, vt nulla creatio fiat.

Salicis effectus. *Hîc tria dicuntur de ſalice. Primum eſt, ſuccum eius auribus infuſum vermes earũdem interficere, idque ob exiccationem & ſtypticam facultatem. Auicen.* 2. *Can. cap.* 686. *Non eſt aliud, inquit, magis vtile, quàm ſuccus foliorum eius in cura ſanici,*

quæ

quæ currit ex aure. Secundus est, corticem, id est, partem extremam salicis in aceto decoctam resoluere verrucas, vnde Auicenna loco citato : Cinis *eius eradicat verrucas, linitus cum aceto. Est enim vehementis exiccationis, mordacitatis tamen expers.* Galen. *libro* 6. *de simp.* Eundem *effectum Auicenna & portulacæ attribuit,* 2. Can. *capite* 543. Ex *ea, inquit, fricantur verrucæ, & eradicat eas proprietate sua, non qualitate. Tertia est, florem salicis nocere partui : ob stypticam enim & exiccandi facultatem, partum difficilem reddit, vnde* Dioscorides *asyllipsian facere dixit, id est, vt mulier non concipiat. Lege de hac re eruditissimas* Iani Cornarii *annotationes in* Macri *librum* 4. *capite vndecimo.*

DE CROCO. Du saffran
Cap. LXXIII.

COnfortare crocus dicatur
 lętificando.
Membráque defecta confortat,
 hepar reparando.

Hic

Croci proprietates. croci.

Hic recensentur quædam proprietates croci. Prima est, crocum confortare corpus humanum lætificando. Tantam porrò habet lætificandi siue exhilarandi vim, vt paulò copiosius sumptus, ridendo enecet. Vnde Auicen. 2. Canon. 130. Dicitur, inquit, quòd tres aurei de ipso interficiant lætificando. Aureus autē est pondus sesquidrachmæ. Secunda est, Crocum confortare membra defecta, & imprimis cor. Confortat item styptica & excalfaciendi facultate stomachum, eadē ratione & hepar reficit, quod styptica facultas nō sinit dissolui. Nimius tamen eius vsus mouet nauseam, & deiicit appetitum, teste Auicen. loco citato. Propterea quòd oppositus sit acetositati, quæ est stomacho, & ex qua est appetitus. Crocus præterea & somnum conciliat, sensus obtenebrat, cum vino epotus inebriat, visum abstergit, & oculorum fluxiones cohibet, anhelitum facilē reddit, eiúsque instrumenta corroborat, venerem stimulat & vrinam ciet, teste Dioscorid. lib. 1. cap. 15. Et Auicen. loco citato.

DE PORRO.
Cap. LXXIIII.

Reddit fœcundas mansum persæpe puellas. Pria interieurement.
Manantémque potest naris retinere cruorem.

Duo hoc loco referuntur effectus porri. Primus est, porrum mansum persæpe reddere puellas fœcundas, id est, efficere vt concipiant & matres fiant. Ratio, quia vt Auicenna 2. Canon. cap. 649. confirmat. Confert coarctationi & præclusioni matricis & duritiei, quæ est in ipsa, vnde conceptio impediri posset. Secundus est, porrum naris retinere cruorem, id est, sanguinem è naribus effluentem, id quod testatur & Auic. ibidem. Cæterum plura de hoc dicta sunt suprà cap. 13. Porri effectus.

DE PIPERE.
Cap. LXXV.

Qvod piper est nigrum non est dissoluere pigrum.
Phlegma purgabit, digestiuámque

que

que iuuabit,
Leucopiper ſtomacho prodeſt, tuſsíque, doloríque
Vtile, præueniet motũ febríque rigorem.

Multæ hiſce verſibus comprehenduntur vtilitates piperis. Et primò quidem tres piperis nigri. Quarum prima eſt, piper nigrũ non eſſe pigrum in diſſoluendo, id eſt, reſoluendo, ob fortem eius tum caliditatem, tum ſiccitatem. Calfacit enim atque deſiccat in 4. ordine. Secũda eſt, purgare phlegmata, quia extrahit phlegma ex interiore corpore, ipſúmque concoquit, ſimiliter & phlegma pectori ac ſtomacho inhærens calfaciẽdo, extenuãdo, & diſſoluendo expellit. Tertia eſt, iuuare virtutẽ digeſtiuam. Auic. 2. Canon. cap. 558. Piper, inquit, eſt digeſtiuum, faciens appetitum, ídque maximè intelligendum de pipere longo, quippe quod flatuoſi ſpiritus craßitudinẽ ſoluit, & quæ in præcordiis pigra ceſſant ad ventrem depellit, & concoquendis quæ ſumpſeris ſubuenit, inquit Galen. libro 4. de ſanitate tuenda.

Piperis vtilitates.

Secundo verò loco quinque recenſentur

commodi-

commoditates leucopiperis, id est, piperis albi. Prima est, piper album confortare stomachum, id quod ibidem Galenus testatur. Album vtique supra duo reliqua genera vẽtrem roborat. Auicenna quoque loco citato sic inquit: Et album magis conueniens est stomacho, & vehementius confortat. Secunda est, piper conferre tussi, maximè ex materia frigida phlegmatica: illam enim calfacit, dissoluit & incidit. Auicenna ibidẽ, Quando, inquit, administratur piper in electuariis, est conueniens tussi & doloribus pectoris. Tertia est, piper album conuenire dolori, id quod intelligi potest vel de dolore pectoris, quemadmodum iam dictum est ex Auicenna, vel de dolore vẽtoso. Huic enim omne piper conuenit, siquidem omne piper ob calfaciendi facultatem ventositates discutit & expellit. Auicenna ibidem dicit, piper album & longum conuenire dolori ventris pungitiuo, si bibatur cum melle & foliis lauri recẽtibus. Quarta est, conuenientissimè exhiberi ante motum febris, id est, accessionem siue paroxysmũ, & hoc in febri frigida. In huiusmodi enim piper materiam quodam modo calfacit & digerit. Quinta est, piper album in rigore febriũ plurimũ valere, quia caliditate sua

confortat

confortat neruos, & materiam in eis sparsam consumit. Auicenna ibidem sic inquit: Fricando fit inunctio ex ipso cum vnguento, & confert rigori. Et hæ quinque vtilitates, non minus & aliis piperum generibus conueniunt, vt ex Auicenna liquet. Prætereà verò, adeo piper calfacit neruos & lacertos, vt in hoc non habeat sibi par, mundificat pulmonem: parua quantitate sumptum, prouocat vrinam: magna verò, soluit ventrem. Auicenna ibidem. Est porrò triplex piperum genus: album, longum, & nigrum. Fructus florentis aut germinantis etiam dum arboris, longum dicitur piper. Fructus autem immaturus & acerbus, album piper nominatur. Nigrum, quod iam sole superassatum & exiccatum est.

Triplex piperum genus.

DE GRAVITATE AVDITVS. Cap. LXXVI.

ET mox post escam dormire, nimísque moueri.
Ista grauare solent auditus, ebrietásque.

Hîc recensentur tria auditũ grauantia. Primum est, dormire immediatè à sumpto cibo, & maximè, si ventriculus eo refectus fuerit. Hoc enim digestionem impedit, & cruditates gignit, hinc crassi & indigesti fumi procreantur, qui crassitie sua auditus meatus oppilantes, auditionis spiritus incrassant & perturbant. Secundum est, nimius motus à sumpto cibo. Quemadmodũ enim bonæ valetudini (inquit Galen. in lib. de cibis boni & mali succi) ante cibũ exercitatio maximum adfert commodum, ita qualiscũque sumpto cibo motus noxius admodum est. Alimentum enim ex ventre ante cõcoctionem in diuersas corporis partes distribuitur, propter eáque crudi humoris copia aggeritur, Vnde crassi vapores sursum elati meatus auditus obstruunt. Idem libro 6. de valetudine tuenda. Non leue, inquit, incommodum nõnullis accidit, cùm repleti cibo se exercitant, nonnullis enim caput impletur vaporibus. Tertium est, ebrietas: hinc enim resoluuntur multi fumi & vapores, qui ad caput & organum auditus perlati, spiritum eius perturbãtes, auditũ grauant. Neque auditui modò ebrietas nocet, verumetiam visui & omnibus sensibus. Auicen. 4.3. cap. 2. Ex eis quidem,

 inquit,

inquit, quæ nocēt auri & reliquis sensibus, sunt fastidiū, & repletio, & propriè somnus super repletionē. In nonnullis exemplaribus etiam hic versus adscriptus habetur:

Balnea, sol, vomitus, adfert repletio, clamor.

Nec malè quidē. Siquidē & hæc Auicē. 4.3.cap.11. teste, auditū grauant, tinnitúmque generant. Oportet, inquit, vt omnes isti vitent solem, & balneum laboriosum, & vomitum, & calorem, & repletionem.

DE TINNITV AVRIVM. Cap. LXXVII.

Motus, longa fames, vomitus, percussio, casus,
Ebrietas, frigus, tinnitum causat in aure.

Septem hoc loco enumerātur, vnde tinnitus, siue sonus auriū generari solet. Quorum primum est motus: ex motu enim corporis inordinato & vehementiori, commonentur humores, & spiritus, generatúrque ventositas, quæ ad aureis penetrans tinnitum facit. Tinnitus enim nascitur ob aliquam vaporis aut ventositatis circa organum auditus

ditus cõmotionem, vnde connaturalis in organo auditus aër cõmouetur. Secundum est, longa fames: ratio est apud Auicẽnam 4.3. cap. 9. Et illud est, inquit, propter agitationem cadentem in humoribus sparsis in corpore, quiescẽtibus in ipso. Et cùm non inuenit natura cibum aliquem, conuertitur ad eos, & resoluit ipsos, & mouet eos. Tertium est, vomitus: in vomitu enim cùm fiat motus vehementior, humores ad caput feruntur, vnde quandoque oculi & facies rubescũt, & visus sequitur imbecillitas, nonnunquã verò vapores ac inflationes ad organum auditus pertingunt, tinnitúmque reddunt. Quartum est, percußio sphæræ capitis, & maximè secundum aurem. Hinc enim aëri auditus cõnaturali vehementius commoto spiritus accedit, quia natura membro aliquo læso, statim eò spiritum & sanguinem, peculiaria instrumenta sua, dirigit. Vnde Galen. in libro de renum adfectus dignotione, In omni, inquit, motione sanguis & spiritus concurrunt, qui sunt naturæ vehicula, Hinc deinde in aure fit commotio.

Quintum est, casus, & maximè supra caput, ob eandem causam quæ dicta est de percußione. Ex quocunque etiam casu vehemens fit commotio in corpore humorum.

Sextum est, ebrietas: quia in ebrietate caput repletur fumis & vaporibus, quibus ad organum auditus penetrãtibus, commouetur aër connaturalis in organo auditus. Septimum est, frigus, ex nimio enim frigore debilitatur auditus organum, & calor naturalis cerebri, causantúrque ventositates, quæ ad aureis penetrãtes, nullo negocio tinnitum cient. Neque solùm ex dictis causis tinnitus aurium accidit, verumetiam ex cõpluribus aliis, veluti ex flatuoso spiritu in capite generato, ac commoto: Aut, vt inquit Auicenna loco citato, ex sonitu saniei, quæ generatur fortasse in ipsa aure, & ex feruore puris in partibus eius: aut ex motu vẽtositatis accidentis multoties in meatibus eius, sicuti fit in febribus: aut ex repletione superflua in corpore, & propriè in capite: aut ex materia viscosa, resoluta in paucam vẽtositatem: aut ex medicinis, quarum proprietas est, vt retineant humores, & ventositates in partibus cerebri.

DE NOCVMENTIS VISVS. Cap. LXXVIII.

BAlnea, vina, Venus, ventus, piper, allia, fumus,

Porri

Porri cum cepis, faba, lens, fletúſque, ſinapi,
Sol, coitúſque, ignis, labor, ictus, acumina, puluis,
Iſta nocent oculis, ſed vigilare magis.

Fit hoc loco mentio 12. rerum, oculis noxam inferentiũ. Quarũ prima eſt balneũ, ídque cum humidũ, tum ſiccum: hoc ſtuphæ barbaris dicitur, Latinis verò aereum, illud cina vulgò, Latinis ſolium appellatur. Verũ duplici ratione oculis nocet. Primò quidem calore immodico eos excalfaciens complexionẽ eorundẽ deſtruit. Natura enim frigidi ſunt & aquei, deinde verò tenuiores humiditates, quibus ſpiritus viſiui iique ignei temperantur, refocillantúrque exiccat, & reſoluit. Quamobrẽ circa Rhenum, eò quòd plurimum ſtupha ac balneo vtantur, plures cæci reperiuntur, quemadmodum apud Holandos, ob inordinatam diætam & vitæ regimen, plures leproſi. Secunda eſt vinũ, ídque immodicè ſumptũ. hoc enim oculos & viſum debilitat, quia replet caput fumis & vaporibus, vnde etiã omnes ſenſus hebetiores reddit. Tertia eſt, Venus, id eſt, Balneũ. Vinum. Venus.

nimius vsus coitus, quẽ omnes medici perhibẽt visum plurimũ lædere. Aristot. Sectione 4. problemat. 3. hãc aßignat causam, quòd scilicet per coitum auferatur quod opportunũ est oculis: Oportet enim humidũ aqueũ subtile eis inesse, in quo visibiles spiritus fulciantur. Nam oculus natura est humidus, vnde idem in libro de sensu & sensibili, capit. 2. & lib. 5. de generatione animalium, capite 1. Refert oculum esse de natura aquæ, sed euulsis humidis & euacuatis, contingit superiora desiccari, quare oculi à sua decedunt natura, qui humiditate vigebãt. Meritò autem oculi vigẽt humiditate, quia per spiritus igneos, qui sunt in frequenti motu, euanescerent, nisi humido sustentarentur. Et hinc manifestum est coitum exiccare partes superiores, subtrahendo humidũ, vnde læsio sequitur aciei visus. Quarta est,

Ventus. Ventus, & præcipuè Meridionalis, de quo Hippocrat. libro 3. Aporis. 5. Austri auditum hebetantes, caliginosi, id est, caligine quadam oculos obfundentes, quia sensuum instrumenta plurima implent humiditate, & capitis grauitatem efficiunt. Principio autem neruorum humectato, necesse est & circa voluntarios motus pigritiam euenire, & veluti in se ipso dissolutum hominẽ apparere.

parere. Quinta est piper, quod acrimonia Piper. le poivre.
sua gignit fumos, qui oculos mordicāt. Sexta, Allium, quod acrimonia & vaporibus, Allium. L'ail.
quibus caput implet, visui nocet. De hoc
suprà cap.13. Septima, Fumus, nam & hic Fumus. la fumée.
propter mordicationem & exiccationem
oculis infestus est. Lege Aristot. de hoc, Sectione 31. problemat. 22. Octaua, Porrum,
ex cuius vsu generātur fumi crassi melācho Porrum. les poreaux
lici, oculorū aciē hebetantes, vt dictum est
cap.13. Nona, Cepe, Quarū comestio acredine Cepe. l'oignon.
sua similiter oculis nocet. Decima, Faba, Faba. les feves.
generat enim fumū crassum, melancholicū, obtenebrantē spiritus visiuos, sicut &
Porrū. Quare etiā comestio fabarū somnia
parit terribilia, & horrenda. Vndecima,
Lens, de qua Auicenna 2. Can. cap. 449. Lens. lentille.
Illius, inquit, qui plurimum eius comestione
vtitur, visus obtenebratur, propter vehemētiam exiccationis eius. Duodecima, Fletus, Fletus. les pleurs.
scilicet nimius, debilitat enim oculos, eò
quòd retentricem oculorum facultatem debiliorem reddat. Decimatertia, Sinapi, Sinapi. le seneve.
quod propter acrimoniam visum debilitat.
Decimaquarta, Aspectio solis, & hoc Solis aspectio. Le soleil.
propter eximiam eius nitorem ac splendorem, quibus destruitur visus, vt constat
manifesta experientia & ratione. Sensibile

enim excellens, sensui non proportionatum, cuiusmodi sunt radii solares, corrūpit sensū. Coitus. Decimaquinta, Coitus, & *maximè post nimiam repletionem, vel nimiam inanitionē, vt dictum est paulò suprà.* Ignis. Decimasexta, *Ignis, cuius inspectio & splendor oculos vehementer exiccat, plurimūmq; lædit. Quare fabri ferrarii, & quorum operatio fit ad ignem, rubeos ferè & debiles habent oculos.* Decimaseptima, *Labor, scilicet nimius, quia sanguinem efficit sicciorem, sicut & reliquum corpus. Siccitas autem totam cutem indurat, ergo vel eam qua pupilla integitur. Itaque vis illa conspiciendi cooperitur, & delitescit. Lege Aristotel. Sectione 31. problemat. 14.* Decimaoctaua, *percussio secundum oculos: lædit enim oculos & visum, eò quòd inde sanguis fluat ad oculos spiritum visiuum perturbans, & aliquando apostema generans.* Decimanona, *nimius vsus rerum acutarum, cuiusmodi sunt salsamenta acria, fumorum acrimoniam generantia.* Vicesima, *puluis, siue inambulatio in locis puluerulētis, vnde facillimè puluis ad oculos pertingit, visúmque obfuscat.* Vigiliæ immodicæ. Vicesimaprima, *vigiliæ immodicæ, quæ cæteris omnibus excellentius oculos exiccant. Auicen. 3. 3. Tracta. 4. cap. 4. Omnis, inquit,*

inquit, repletio nocet oculis, & omne quod exiccat naturam, & omne quod turbat sanguinem ex rebus salsis, acutis & aliis, & omnis ebrietas. Vomitus verò confert ei inquantum purgat stomachum, & nocet ei, inquantum mouet materias cerebri, expellendo eas & ipsum. Et si fuerit vomitus necessarius, debet fieri post cibum, & cum facilitate. Et somnus superfluus nocet visui, & somnus statim post repletionem, & multitudo phlebotomiæ, & propriè cum ventosis continuis.

DE CONFORTANTIBVS VISVM. Cap. LXXIX.

FOeniculus, Verbena, Rosa, &
Chelidonia, Ruta,
Ex istis fit aqua, quæ lumina reddit acuta.

Hîc quinque recensentur herbæ, quarum aqua siue liquor stillatitius cõfert visui. Prima est fœniculus, cuius succus in oculo positus, acuit visum, inquit Rhazes 3. ad Mansorẽ cap. 47. Secunda, Verbena, cuius aqua ocularibus medicamentis plurimũ commiscetur. Tertia, Rosa, cuius aqua confortat spiritum

Fœniculus.

La Chelidoine Chelidonia. ou l'Eclaire

spiritũ animalem, & visiuũ. Dioscor. lib. 1. Quarta, Chelidonia, quæ herba succum habet croceum. Hoc nomen sibi videtur vendicasse, quòd aduentu hirundinum exoriatur, & discessu emarcescat, teste Dioscorid. Quinta, Ruta, herba vulgaris notitiæ, de qua Dioscor. lib. 3. Visus, inquit, aciem excicat, dolores oculorum illita cum polenta lenit. Sed de his herbis satis dictum est suprà in diuersis & propriis capitibus.

CONTRA DOLOREM *dentium.* Cap. LXXX.

SIc dentes serua, porrorum collige grana.

Vre cum hyoscyamo simul, vtere iure decenti.

Sícque per embotum fumum cape dente remotum.

Referuntur hoc loco medicamina quædam ad dolorẽ dẽtium efficacißima. Semina videlicet porrorũ cum hyoscyamo simul vsta. Administranda autem sint hoc modo: Succus hyoscyami cum seminibus porrorum simul comburatur, & fumus per infundibulum in locum adfectũ recipiatur. Hyoscyamo

ſcyamo enim virtus ineſt ſtupefactiua, quæ doloris leuamen adeo præſtat, vt dolor vix percipiatur. Fumo autem ſeminis porri virtus ineſt interficiendi & eiiciendi vermis, in concauitatibus dentium intolerabilem quandoque dolorem excitantis. Auicen. 2. Cano. cap. 549. teſte. Porrum vulgaris eſt notitiæ. Hyoſcyamus verò herba eſt ſtupefactiua, cauleis emittens craſſos, folia lata, oblonga, diuiſa, nigra, hirſuta, pinguia & fœtida, flores è latere caulis ordine prodeũt, tanquã punicorum cytini, ſcutulis ſepti ſeminum plenis, vt papaueris, de quo Macer: la Jusquiame. Hyoſcyamus.

Ore diu tepidum ſi contineatur acetũ,
Quo ſint decoctæ radices illius herbæ,
Dicitur immodicũ dentis pacare dolorẽ.

DE RAVCEDINE VOCIS. Cap. LXXX.

NVx, oleum, frigus capitíſq;, anguilláque, potus,
Ac pomum crudum, faciunt hominem forè raucum.

Hîc recenſentur ſex cauſæ raucedinis vocis. Prima eſt, nux, nuces: enim valde exic cant, vnde vocẽ aſperant, ſimilémq; gruum Nux.

Oleum. *vocibus reddunt. Secunda, Oleum, cuius partes aliquæ viſcoſæ, ipſi pulmonis cannæ adhærent, raucedinémque faciunt. Secundo verò loco, & cholericis corporibus raucedinem excitat: quia oleum in iis citò inflammatur, vnde exaſperationem & raucedinem inducit. Sed prima ratio videtur*

Frigus. *potior. Tertia, frigus capitis, quia inde fit compreßio cerebri. Quare humores deorſum ad guttur & cannam pulmonis defluunt, raucedinem propter nimiam humectationem cannæ cauſantes. Quarta, anguilla, quia ex eſu eius phlegmata viſcoſa multiplicantur, quæ ad cannam pulmonis penetrantia, atque ibidem adhærentia, raucedinem inferunt. Quinta, potus, ſcilicet nimius, & maximè quãdo itur dormitum, quia & inde canna pulmonis plurimum humectatur, quæ potißima eſt cauſa raucedinis vocis, ſecundum omnium medicorum ſententiam. Sexta, pomum crudum: quatenus enim crudum exiſtit, phlegmata multiplicat. Et ſi præterea immaturum, ſtypticum, ſiue ponticum fuerit, guttur exaſperat.*

CONTRA RHEVMA.
Cap. LXXXII.

IEiuna, vigila, caleas dape, túque labora,
Inſpira calidum, modicum bibe, comprime flatum,
Hæc bene tu ſerua, ſi vis depellere rheuma.
Si fluat ad pectus, dicatur rheuma catarrhus,
Ad fauces branchúſque, ad nareis eſto coryza.

Hîc ſeptem enumerantur, quibus curatur rheuma. Primum eſt Abſtinentia, ſiue ieiunium: per hoc enim materia rheumatis diminuitur, quia abſtinentia exiccat materiam, meliúſque maturat & cõſumit. Natura enim deſtituta cibo in quem agat, in materiam rheumatis agit, eámque conſumit, vnde & caput minus repletur. Auicen.5.3.Tract.1.cap. decimotertio, Et oportet quidem, inquit, ne patiens catarrhum & coryzam, repleat ventrem cibis, qua re repleatur

repleatur caput eius.

Secundum, Vigiliæ, nam & hæ exiccant cerebrum, & prohibēt aſcenſum multorum vaporum ad caput. Tertium, cibi calidi: qui plurimum conferunt rheumati ex materia frigida, hæc enim per illos digeritur. Quartum, Labor, nam & per hunc materia rheumatis conſumitur: labor enim exiccat ſuperfluitates corporis. Quintum, Inſpiratio aeris calidi, idq; maximè in catarrho ex materia frigida: per aerem enim calidum inſpiratū, caleſcit materia, & maturatur. Sextum eſt, Modicum bibere, & quaſi ſiti torqueri, ſiquidem & hoc modo rheumatis materia conſumitur: ſitis enim, ſiue parua potio exiccat, neque per paruā potionem tanta fit repletio, quanta per magnam. Septimum eſt, Comprimere flatum, id eſt, anhelitum, hoc enim valde confert catarrho, & maximè in cauſa frigida, quia per retentionem anhelitus caleſcūt ea quæ ſunt pectoris, vt melius digeratur materia frigida, phlegmatica, faciens catarrhum. Vnde Auicēna loco citato, Oportet, inquit, vt adſiduet calfactionem capitis, & elongationē eius à frigore, & minuat ipſum à Septētrione, & propriè poſt Auſtrū. Auſter enim replet & rarificat, Septētrio cōſtringit &

git & exprimit: & minoret potum aquæ congelatæ, neque dormiat in die: sitiat, & famem patiatur, & vigilet quãtum potest, quia sunt initium curæ. Rha. 9. ad Mansorem, cap 14. præcipit vt vitetur decubitus supinus, ne peccans humor in posteriorem partem, & dorsalem medullam fluat: neque cùm posterior pars manifesto careat meatu, vnde fluat materia, ad neruos penetret, & spasmum siue paralysin generet.

Abstinendum quoque omnino à vino. Vinum enim cùm sit vaporosum, & calidũ, dissoluit materiam, & auget rheuma. Neque stare cõuenit ad solem, aut ignem, quia sol & ignis dissoluendo materiam, augent rheuma.

Duobus vltimis versibus refertur differẽtia, inter catarrhũ, brãchũ, & coryzan.

Rheuma autem est nomen generale, ad quemlibet fluxum materiæ, ἀπὸ τοῦ ῥέω, id est, fluo. Ferè tamen accipitur pro eo fluxu, qui ex capite delabitur. Rheuma.

Cõtinet verò in se tres species, vel mẽbra: Catarrhũ, branchũ, & coryzã: vnde si materia fluat ad pectus, vel mẽbra vicina, dicitur catarrhus: Si ad fauces siue asperam arteriã, Βράγχος Græcis, Latinis raucedo: si verò ad nares, κόρυζα, siue grauedo.

CON-

CONTRA FISTVLAM. Cap. LXXXIII.

AVripigmentum, ſulphur, miſcere memento,
His decet adponi calcem, coniunge Saponi, Savon.
Quatuor hæc miſce, commixtis quator iſtis,
Fiſtula curatur, quater ex his ſi repleatur.

Hoc loco traditur confectio emplaſtri pro curatione fiſtulæ, ex auripigmento ſcilicet, ſulphure, calce, & ſapone. Quia in his omnibus eſt virtus exiccatiua & mundificatiua, quæ neceſſariò requiruntur in curatione fiſtulæ. Auripigmentum, inquit Platearius, calidum eſt & ſiccum in 4. gradu, diſſoluit, attrahit, conſumit, & mundificat. Sulphur item & Sapo, ſecundum eundem, calida ſunt & ſicca, ſulphur quidem calidũ eſt & ſiccum in 4. Sapo verò remiſsius. De calce Auicen. 2. Canon cap. 148. ſic inquit: Calx ablata eſt exiccatiua, ſine mordicatione, & cõſolidat. Eſt porrò fiſtula, vulnus

Fiſtula.

aßiduè & periodicè fluens, id est, secundum diuersa tempora, siue diuersas lunationes. Auripigmẽtum est, quo vtuntur sculptores, as siue metallum lapidibus conglutinãtes. Auripigmentum.
Sapo siue σμῆγμα, est pinguedo illa alba, siue nigra, qua mulieres vesteis lauant & emundant. Sapo.

DE NVMERO OSSIVM, Dentium, & neruorum in homine. Cap. LXXXIIII.

Osſibus ex denis bis centeníſque nouenis
Conſtat homo, denis bis dentibus & duodenis,
Ex tercentenis decies ſex quinquéque venis.

Hoc loco habetur numerus oßium, dẽtium, & venarum corporis humani. Dicitur autem primò homo constare ducentis nouemdecim oßibus. Summis tamẽ & maioris autoritatis medicinæ doctoribus, Hippocrati nimirũ, Galeno, Rhaze, Auerrhoi, & Auicennæ placet, ossa hominis esse 248. tametsi in particulari enumeratione oßiũ

minus conueniant. Hinc ille vulgatißimus versus:

Ossa ducētena sūt atq; quater duodena.

Secundò dicitur homini inesse triginta duos dētes, & hoc intelligendū vt plurimū in hominibus perfectis. Aliquādo enim cōtingit, vt quidā careant dentibus quatuor extremis, qui post molares sunt, & ii dētes habent duntaxat 28. Aliqui carent his dētibus vltimis in pueritia tātùm, alii in pueritia, & iuuentute, ita vt eis non nascantur donec senescant, alii iis per totam vitā destituuntur. Auicēna. 1. 1. Doctr. 5. Sum. 1. ca. 5. Dentes quidem, inquit, sunt triginta duo, contingit tamē nōnunquā homines quosdā nō habere quatuor extremos, vnde tūc non erunt nisi 28. Eorū verò duo sunt duales, & duo quadrupli superius, & totidē inferius ad incidēdū. Et duo dētes anteriores, et duo quadrupli iungūtur dualibus à dextris & sinistris, & tā duales quàm quadrupli, sunt duo in superiori mandibula, & duo in inferiori. Et sunt omnes ordinati ad incidendū, ideo à Græcis Τεμνικοί, id est, incisores vocantur, præcipuè duales. Et post hos duo sunt qui vocātur Κυνοδόντες, id est, canini, superius, & duo inferius inmediatè coniūcti quadruplis, quorū officium est mandere,

Dentes.

& escas duriores cõfringere. Hos sequũtur dentes molares, à dextris & sinistris quatuor, tã in superiori quàm inferiori mandibula. Deinde in quibusdã est dẽs vnus sensus, tã à dextris, quàm sinistris, tam in inferiori, quàm superiori mandibula, in quibusdam verò nõ. Et sunt dentes illi molares & sensus omnes ordinati ad molendũ. Et summa totius numeri dentium est 32. vel 28. in non habẽtibus dentes sensus. Sunt autẽ mihi quatuor duales, quatuor quadrupli, & quatuor canini, sedecim molares, & quatuor dentes sensus. Tertiò dicitur hominẽ habere 365. venas, id quod Anatomia cõstat

DE QVATVOR HVMO- *ribus corporis.*

Cap. LXXXIX.

QVatuor humores humano
in corpore constant.
Sanguis çum cholera, phlegma,
Melancholia.
Terra melanc. aqua phleg. aer
sanguis, choler. ignis.

Hîc agitur imprimis de humoribus ad humani corporis constitutionẽ necessariis.

Sunt autem 4. Sanguis ſcilicet, phlegma, cholera, & melancholia. Dein *oſtenditur natura & complexio eorundem cum comparatione ad elementa.* Melancholia *eſt frigida & ſicca, & comparatur terræ, quæ ſimilis naturæ eſt.* Phlegma *frigidum & humidum, & comparatur aquæ.* Sãguis *eſt calidus & humidus, & comparatur aeri.* Cholera *verò eſt calida & ſicca, & comparatur igni. Vnde verſiculi vulgares:*

Humidus eſt ſanguis, calet, eſt vis aëris illi.
Alget phlegma, humétque, illi ſic copia aquoſa eſt.
Sicca calet cholera, & ſic igni ſit ſimilata.
Frigens, ſicca, melancholia eſt, terræ adſimilata.

Sanguis. *Auic. I. I. Doctr. 4. ca. I. atteſtante, ſanguis inter humores præſtantiſſimus eſt: vel quia eſt materia ſpirituum, in quibus conſiſtit vita, & omnis operatio vegetatiua, vitalis, & animalis. Vel quia conformis eſt principiis vitæ. Eſt enim calidus & humidus temperatè, vel quia plus nutrit & inſtaurat deperditũ, quàm cæteri humores. Et vt vno verbo dicam, theſaurus eſt naturæ, vt quo amiſſo ſtatim mors conſequitur.*

Phlegma *Secundũ probitatis locum ſibi phlegma vendi-*

vendicat, vel quia tempore neceßitatis cõcoctione in ſanguinem mutatur: atque hac ratione nullum proprium habet receptaculum, ſed cum ſanguine commixtum incedit: Vel quia vicinus eſt radicali humido, quod eſt quaſi baſis vitæ.

Deinde ſequitur Cholera, quæ participat naturali calori, quàm diu menſuram ſeruat. Cholera.

Hinc melancholia ſequitur, velut fex ac ſedimentum ſanguinis, elongata à principiis vitæ, inimica lætitiæ & liberalitati, & cognata ſenio ac morti. Sanguinis autẽ duæ ſunt ſpecies, naturalis ſcilicet & innaturalis. Naturalis quidẽ, cuius color ruber eſt, venalis ſcilicet ruber obſcurus, & arterialis ruber clarus, expers mali odoris, & admodum dulcis, & hoc reſpectu aliorum humorum. Innaturalis duplex eſt. Quidam enim innaturalis eſt qualitate, mutatus ſcilicet à cõplexione bona in ſe, ſine alterius humoris cõmixtione. Alter innaturalis eſt, propter humorem malum & commixtum, peccãtem qualitate, ſubſtantia, vel quantitate, vel in proportione alterius ad alterũ. Et hic duplex eſt. Nam quidam eſt nõ naturalis, ex permixtione mali humoris, extrinſecus ſuperuenientis. Alter nõ naturalis Melancholia.

est, ex permixtione mali humoris generati in ipsomet sanguine, quãdo pars sanguinis tenuior putrescens in choleram, & craßior in melancholiam conuertitur, earumq́; vel altera, vel vtraque in sanguine permanet.

Et hic sanguis nõ naturalis ex admixtione mali humoris, à naturali multifariam differt. Primò *in substãtia, quia craßior & turbidior est, cùm miscetur ipsi melãcholia, tenuior cùm commiscetur ei cholera vel aquositas.* Secundò *in colore, quia declinat ad albedinem ratione phlegmatis, vel ad nigredinem, ratione melancholiæ.* Tertiò *in odore, quia magis fœtidus est ex admixtione putridorum humorum.* Quartò *in sapore, quia vergit ad amaritudinem propter admixtionem cholerae, vel ad acetositatem ex parte melancholiæ, vel ad insipiditatẽ, ratione phlegmatis.*

Phlegmatis verò naturalis duæ similiter species habentur, naturale scilicet & innaturale. Naturale *est, quod cõcoctione in sanguinem mutatur, quia sanguis est bene coctus. Et est quidam dulcis phlegmatis, quod non valde existit frigidum, imò comparatione paucæ est frigiditatis, sanguinis verò & flauæ bilis comparatione est frigidum & naturaliter album. Et dicitur phlegma dulce,*

Phlegma dulce.

dulce, extenſo hoc nomine dulce ad omneis ſapores delectabiles, quia alio modo phlegma naturale nõ eſt dulce, cùm ſit inſipidũ, aquoſum, & ſapori aquæ valde propinquũ. Hinc natura proprium receptaculum machinata non eſt, ſicut choleræ & melancholiæ, ſed reliquit ipſum cum ſanguine mixtum, vt tempore neceſſitatis, in ſanguinem cõuertatur. habet enim ſimilitudinem ſanguini propinquam.

Et huius phlegmatis, duæ ſunt neceſſitates, ac vna vtilitas. prima neceſſitas eſt, vt ſit iuxta membra, in hoc vt operentur in ipſum virtutes eorum, coquant, digerant, & nutriãtur inde, cùm amiſerint nutrimentũ ſuum, quod eſt ſanguis bonus propter retẽtionem materiæ ſanguinis, quæ quidem retentio fit à ſtomacho & hepate, ob cauſas quaſdam accidentaleis. Secunda neceſſitas eſt, vt miſceatur cum ſanguine, ipſumq; nutriendis mẽbris phlegmaticæ conſtitutionis accommodet, cuiuſmodi ſunt cerebrum & nucha, quorum ſanguini, non minimã phlegmatis partem admixtam eſſe conuenit.

Vtilitas verò eius eſt, vt humectet iũcturas & mẽbra, quæ in iugi & continua motione ſunt, ne deſiccentur ob calorẽ ex motu & colliſione prouenientẽ. Phlegma autẽ in

naturale diuiditur, Primò secundum substantiam: aliud mucilaginosum est, aliud verò secundum sensum diuersum in tenuitate & craßitie suarum partium. Dicitur autem mucilaginosum, ob similitudinem quã habet cũ mucilagine è seminibus extracta.

Crassum. Phlegma crassum apparet æquale in substantia, id est, tenuitate & craßitie, secundum sensus iudicium: reuera tamen in partibus suis diuersum est, & dicitur phlegma crudum, multiplicatur autem in stomacho & intestinis. Quod à stomacho, euacuari vomitu bis singulis mensibus Hippoc. consulit in libro de victus ratione priuatorum. Et ad eius quidem expulsionem siue excretionem ab intestinis, natura statuit vt cholera à cysti fellis ad intestinum ieiunum, & ad alia inferiora defluat, eáque à pituitosis excrementis expurget, & abstergat, atque eorundem excretionem adiuuet. Interdum & in venis multiplicatur, & præcipuè in senibus propter diminutionem digestionis, & illic moram trahens paulatim augetur & crassescit, & cùm inde tandem grauetur natura, nec poßit ipsum per ordinarias expulsionis venas repellere, facit de poßibilibus id quod melius est, elongátque à corde & reliquis membris intrinsecis, propellens

lens ad exteriora, præsertim ad tibias, quia propter grauitatem suam, naturaliter ad inferiora tendit. Et hæc causa est, cur tibiæ senum inflentur, adeóque intumescant, vt post digiti impreßionem, in iis vestigium ac fouea relinquatur, & maxime adpropinquante nocte, idque in pinguibus etiam & iis qui humido nutrimento gaudent, euenire solet.

Aliud phlegma est valde tenue & aquosum, simile aquæ aliquantulum inspissatæ, & sæpe inuenitur in saliuis & sputis eorũ, qui malè digerunt nimísque bibunt. Solet autem à cerebro ad nares distillare in principio coryzæ, quod per decoctionem incrassatum in phlegma crassum aut mucilaginosum conuertitur. Tenue.

Aliud phlegma est valde crassum, albũ, quod vocant gypseum, cuius tenue resolutũ est propter diuturnã eius in iuncturis moram, crassum autem ceu lapis induratum remansit. Et hoc phlegma facit podagram nodosam ferè incurabilem. Vnde Ouidius: Gypseum.

Soluere nodosam nescit medicina podagram.

Aliud phlegma est vitreũ, spissum, crassum, & vitro liquefacto in colore, viscositate & pondere simile. Secundò diuiditur Vitreum.

phlegma innaturale ex parte saporis. Quoddam enim dulce est ex admixtione sanguinis sub quo etiã continetur phlegma vnctuosum: quod fit ex admixtione vnctuositatis sanguinis cum phlegmate.

Aliud phlegma est insipidum ex cruditate sicut & quoddam vitreum.

Salsum. *Aliud est salsum ex admixtione cholerae. Et hoc est mordacius, siccius, & leuius caeteris speciebus phlegmatis, ob choleram quam in se admittit: haec enim sicca, leuis, & acuta est. Saepe hoc reperitur in stomachis frequenter fortia vina bibentium, & vtentium salsis & acutis. Adhaerens autem stomacho, causat interdum sitim vehementem, diúque per intestina discurrẽs, ea quãdóque excoriat, & dysenteriam parit, siue tenasmum.*

Acetosum. *Aliud phlegma est acetosum, quod fit quandoque ob melãcholiam acetosam ipsi admixtam, quandoque verò ob ebullitionẽ, quae accidit phlegmaticis, non secus atque dulcibus succis fructuum accidere solet: hi enim primò ebulliunt siue feruent, & deinde acescunt. Et hoc phlegma saepius reperitur in stomacho malè digerẽtium, quàm in aliis partibus. Nam ad os stomachi naturaliter melancholia profluit, ad desiderium*

excitandum, quæ deorsum cadens & phlegmati mixta ipsum quandoque acetosum reddit. Id *quod cognoscitur per ructus acidos. Interdum etiam phlegma tale generatur in stomacho per viam ebullitionis à debili calore ex chylo.*

Aliud phlegma est ponticũ, quod quãdoq; ex admixtione melancholiæ ponticæ generatur. Rarò tamen reperitur, propter melãcholiæ ponticæ raritatem: quandoque verò oritur ex vehemẽti infrigidatione, qua humiditas eius congelatur, & nõnihil ad terrestrem substantiã inalteratur, neque supervenit ei calor debilis, quo ebulliẽs in acetositatem conuertatur, neque calor fortis, qui digerens ipsum, in sanguinem commutet. Ponticũ.

Choleræ verò species similiter duæ sunt: Naturalis *scilicet, & innaturalis. cholera naturalis est spuma sãguinis, cuius color est ruber clarus, id est, citrinus in vltimo citrinitatis gradu, sicuti capillamẽta croci, estq; leuis & acuta, & quo calidior est, eò magis etiã rubet. Et hæc cholera in hepate generata, in duas partes diuiditur. Quarũ vna cum sanguine ad venas defertur, altera ad cystim fellis transmittitur. Pars autem, quæ cum sanguine transit, cũ eodem necessitatis & vtilitatis causa penetrat. Necessitatis* Choleræ species duæ.

quidem,

quidem, vt misceatur cum sanguine pro nutritione membrorum cholericorum. Vtilitatis verò, vt extenuet sanguinem, quò commodius in venas penetret. Pars autem illa, quæ transit in cystim fellis, consimiliter propter necessitatem & vtilitatem transmittitur. Necessitas est duplex: quædam enim est corporis totius, vt videlicet mundet ipsum à superfluitatibus cholericis. Altera est respectu cystis fellis, vt nutriat ipsum. Vtilitas quoque duplex est: Vna, vt abluat intestina à fecibus & phlegmate viscoso, eis adhærente: Altera vt pungat intestina & musculos ani, ad excernendum quod in eis noxium est. Cuius rei signum est, quòd colica sæpe accidit, propter oppilationem foraminis, quod à cystifellis vsque ad intestina procedit.

Cholera verò innaturalis duplex est. Nam vna est innaturalis, ob causam extrinsecã, quæ ei admiscetur. Altera ob causam internam, quia substantia eius non est naturalis. Cholera innaturalis ob causam extrinsecam, alia est famosa, cui phlegma admiscetur, & dicitur famosa siue nota, quòd sæpißimè generari soleat. Ex hac sæpe fit tertiana notha. Altera est minoris famæ, cui scilicet melancholia admixta est. Cholera

lera verò famosa, vel est citrina, & generatur ex admixtione phlegmatis tenuis cum cholera naturali: vel est vitellina, ouorum vitellis similis, & generatur ex admixtione phlegmatis crassi cum cholera naturali. Cholera autem minoris famæ, duobus fit modis, vel quando cholera in se aduritur & in cinerem cõuertitur, vnde pars tenuis choleræ non separatur: & hæc est peior. Vel quando melancholia choleræ extrinsecus accedens, cum ea miscetur, & hæc est melior: color eius ruber est, non tamen clarus, neque floridus, sed sanguini venali similior. Cholera verò innaturalis secundum propriam substantiam, sine alterius humoris commixtione, alia quidem sæpius in hepate generatur, per adustionem eius quod in sanguine est tenuius, cùm crassum in melancholiam conuertatur. Alia verò in stomacho ex cibis malis non digestis, sed corruptis. Vel generatur in venis ex humoribus aliis. Et huius duæ sunt species. Nam quedã est prasina, similis colori prasii nigri, quæ generatur ex vitellina, quando aduritur. Adustio enim in cholera vitellina facit nigredinem, qua commixta cũ citrinitate generatur color viridis. Alia est æruginosa, in colore ærugini æris similis, & generatur

ratur ex praßina, quãdo eò vsq; aduritur, donec humiditas eius exiccetur & ob siccitatẽ albescat. Et hæ duæ vltimæ, malæ sunt & venenosæ, æruginosa tamen peior est.

Melãcholiæ species.

Melancholiæ species itidem duæ sunt, naturalis scilicet, & innaturalis. Naturalis est fex boni sanguinis, & turbulẽtia, & superfluitas, cuius sapor inter dulcem & põticũ medius est. Et hæc in hepate generata, in duas partes diducitur, quarum vna cum sanguine ad venas penetrat, altera ad splenem transmittitur. Prima pars penetrat cũ sanguine ob neceßitatem & vtilitatẽ. Ob neceßitatem quidem, vt misceatur cum sanguine, ad nutriẽda membra melancholica, frigida & sicca, sicut ossa. Ob vtilitatẽ verò, vt fluxibilitatem sanguinis nimiã coërceat, & vigore corpulentiam eius cõdenset, donec fiat pars solida mẽbrorũ duorũ inde nutriendorum. Altera pars, qua sanguis nõ indiget, promanat ad splenem, propter neceßitatem & vtilitatem. Neceßitas duplex est, quarum vnica est secundum totum corpus, vt scilicet ipsum à melancholica superfluitate emundet. Altera secundùm splenẽ, vt ipsum nutriat. Vtilitas verò eius inde est, quòd ipsa ad orificiũ stomachi profluẽs exprimat humiditates ibidem inuentas,

sicut

ſicut mulier mulgendo exprimit digitis ſuis lac ab vberib⁹ vaccæ. Et hæc vtilitas, duobus cõtingit modis. Primò enim cõſtringit, inſpiſſat, & confortat orificiũ ſtomachi: deinde in ore ſtomachi, acrimonia ſua cõmotionẽ facit, & excitat deſideriũ ac famem.

Melancholia verò innaturalis, eſt quaſi res aduſta ſicut cinis, reſpectu aliorum humorum. Eius 4. ſunt ſpecies notæ, licet plures ſint obſcuræ. Prima eſt cinis choleræ, & eſt illud quod de cholera aduritur, & hæc amara eſt. Secũda eſt cinis phlegmatis, & eſt illud quod fuit aduſtũ ex phlegmate: & ſi phlegma aduſtũ fuerit, valde tenue & aquoſum, tum melãcholia, ex eo genita, erit ſalſa in ſapore. Si autẽ fuerit phlegma craſſum quod aduritur, tum cinis eius, ſiue melancholia inde nata, tendit ad acetoſitatem vel põticitatem. Tertia eſt cinis ſanguinis, & eſt illud quod aduſtum eſt ex ſanguine. Et hæc melancholia ſalſa eſt, nõnihil dulcedinis participãs. Quarta eſt cinis melãcholiæ naturalis, & ſi naturalis, vnde fit, tenuis fuerit, tum admodum acetoſa eſt, terrámque, ſi ſuper effuſa ſit, attollit, ac fermẽtat, bulláſque quales feruẽtibus iuſculis innatant, excitat. Odor eius acris eſt, quem fugiũt muſcæ & reliqua animalia. Si verò

melan-

melancholia naturalis ex qua generatur, fuerit crassa, minoris erit acetositatis, cum pauca ponticitate.

DE TEMPERATVRA *siue complexione sanguinea.* Cap. XC.

NAtura pingues isti sunt atque iocantes,
Semper rumores cupiunt audire frequentes,
Hos Venus, & Bacchus delectãt, fercula, risus,
Et facit hos hilares, & dulcia verba loquentes.
Omnibus ij studiis habiles sunt, & magis apti.
Qualibet ex causa non hos facilè excitat ira.
Largus, amans, hilaris, ridens, rubeíque coloris,
Cantans, carnosus, satis audax, atque benignus.

Enumerantur hoc loco signa cõplexionis sanguineæ, quorum primum est, Sanguineũ natura esse pinguẽ, id quod de pinguedine in propria acceptione intelligendũ non est, hæc enim semper frigiditatem cõplexionis significat, vt testatur Auic.2.1. Doct.3.cap. 3. *Sed de pinguedine ad multã corpulentiã siue carnis abundantiam extensa, quia autore* Auic.*loco citato, multitudo carnis rubræ cum decenti firmitate & non laxitate eius, significat cõplexionem calidã & humidam, qualis est sanguinea. Quia multitudo carnis rubeæ attestatur super fortitune virtutis adsimilatiuæ, & multitudine sanguinis, quæ vigent & inualescũt calido & humido, teste* Gale.*lib.2.temper.Corpulentia, inquit, siue carnis abundãtia ex sanguinis copia nascitur, quũ enim calori, intra debitos fines manenti, boni sanguinis accedit copia, necesse est, vt corpulentia sequatur.* Auic.*item loco citato, sic scribit:* Corpus *carnosum absq; multo adipe & pinguedine, est calidum & humidum, id est, sanguineum.* Idem *habet* Gale.*in arte medicinali cap.* 59. *Calidior autem & humidior temperatura &c. Secũdum est, sanguineum esse vel iocosum, vt qui loquendo aliis risum excitet, vel lætũ ex benignitate humoris san-* Sanguinei.

 guinei,

guinei, prouocantis lætitiam ac iocunditatem, propter ſpiritus claros & perfectos, quos hic ſanguis parit. Tertium eſt, ſanguineos delectari fabulis iocoſis, ídque eadem ratione. Quartũ eſt ſanguineos eſſe pronos ad libidinem, ratione caliditatis & humiditatis, ad coitum incitantium. Quintum eſt, ſanguineos libenter indulgere vini potionibus. Sextum eſt, eoſdem libenter veſci cibis bonis. Quorum duorum eadem cauſa eſt, quia ſimilia ſimilibus cõſeruãtur. Septimum eſt, ſanguineos facilè ridere. Sanguis enim riſum prouocat.

Vnde Hipp. *in lib. de præparatione hominis, Quibus, inquit, conceſſum eſt puriore ſanguine frui, frequenter ii rident, & florida facie apparent omnes colore venuſto. Octauum eſt, ſanguineos eſſe hilares, & facie amabiles, & iocũdos, propter viuidum & floridum colorem, & venuſtatem cõplexionis ex ſanguine. Nonum eſt, ex ſanguineorum ore dulcia profluere verba, eò quòd natura ſanguine delectetur. Decimum eſt, ſanguineos eſſe ingenioſos, id eſt, habiles & aptos omnibus artibus diſcendis, ídque ob ingenii vigorẽ & inſitã ex ſanguine vim, ſiue docilitatem. Vndecimum eſt, ſanguineos non facilè ira commoueri, propter humiditatem*

miditatem qua feruor cholerę ad iram excitantis reprimitur.

Duobus postremis versibus repetuntur quędam signa dicta, & adduntur nonnulla alia. Primum est, sanguineos esse largos, id est, liberales, non auaros. Secundum est, sanguineos amoribus operam dare. Tertiū est, sanguineos esse hilares, id est, vultu venustos & iocundos. Quartum est, sanguineos quasi semper ridere, quorum omnium causa est benignitas sanguinis. Quintum est, eos esse rubicundos. Vnde Auic. loco citato, Color, inquit, rubeus, significat multitudinem sanguinis, id quod intelligendum de colore rubro, cum quodam splendore, & non de rubeo fusco, qualis apparet in facie eorum, qui libenter & abundè vina fortia bibunt, & vtuntur salsis atque acutis speciebus. Hęc enim facies lepram pręsagit. Sextum est, sanguineos ob animi lętitiam cùm delectare tum delectari cantu. Septimum est, esse corpulentos & carne abundare, cuius ratio suprà reddita est. Octauū est, esse audaces ob caliditatem sanguinis, quę est causa audacię. Nonum est, sanguineos esse benignos ac clementes, ob sanguinei humoris benignitatem.

DE TEMPERATVRA *siue complexione cholerica.* Cap. XCI.

EST humor choleræ, qui competit impetuosis,
Hoc genus est hominum, cupiēs præcellere cunctos.
Hi leuiter discunt, multum comedunt, citò crescunt.
Inde & magnanimi sunt, largi, summa petentes.
Hirsutus, fallax, irascens, prodigus, audax,
Astutus, gracilis, siccus, croceíque coloris.

Hîc adsignātur signa quædam & notæ complexionis cholericæ. Prima est, cholericum esse impetuosum, id est, facere cuncta cum impetu, quia superfluus calor in cholerico impetum excitat, vnde Auicenna 2. Doct.3. cap.3. Operationes excesiui motus significant caliditatem. Secunda est, Cholericū esse ambitiosum & honoris cupidū, primásque expetere sedes, conari præferre se

Cholerici.

se

ſe omnibus. Ratio, quia ſuperfluus calor incitat animum ad arrogantiam & temeritatem. Tertia eſt, cholericum citò diſcere, & celeris eſſe ingenii, & hoc propter tenuitatem & caliditatem humoris cholerici. Vnde Aui. ibid. Intellectus, inquit, id eſt, promptitudo & vis intelligendi, ſignificat caliditatem complexionis. Quarta eſt, cholericos eſſe edaces & multiuoros: fortior enim calor ipſis ineſt digerens, & maior reſolutio, quàm aliis corporibus. Quinta eſt, cholericos citò adoleſcere, id eſt, peruenire ad augmentum, ídque ob fortitudinem caloris naturalis, qui eſt cauſa augmẽti. Sexta eſt, cholericos eſſe magnanimos, id eſt, non poſſe tolerare iniurias, propter caliditatem, vnde idem Auic. eodem loco, Parum pati ab vnaquaque re ſignificat caliditatem. Septima eſt, eoſdem eſſe largos, & hoc in illos, vnde honores conſequi ſperant. Octaua eſt, cholericos appetere ſumma, id eſt, ſummas dignitates & officia, propter cauſam ſecundæ notæ. Nona eſt, cholericos eſſe hirſutos, id eſt, piloſos. Rationem reddit Gal. lib. 2. de tempe. Calida, inquit, & ſicca intẽperies hirſuta eſt, verũ in ſummo. Quippe per omnem cutem digeritur ſemper aliquid à calido, quod ſecum

etiam interni humoris nonnihil aufert ad cutẽ, vnde pili generantur. Decima eſt, cholericum eſſe fallacẽ, id eſt, deceptorem. Vndecima eſt, cholericos eſſe iracũdos, id eſt facillimè iraſci ob caliditatem, & hoc ob facilem cõmotionem choleræ & ebullitionem ſanguinis circa cor. Duodecima eſt, cholericum eſſe prodigũ in exhibendis ſcilicet muneribus pro honore conſequendo. Decimatertia eſt, cholericos eſſe audaces, ídque ob nimiam caliditatẽ, & maximè cordis. Decimaquarta eſt, eoſdem eſſe aſtutos, & hoc propter caliditatẽ & agilitatem choleræ. Decimaquinta eſt, cholericos eſſe graciles, id eſt, macilentos, & raræ corpulentiæ, ob caliditatem nimiã, & vehementer reſoluẽtem. Decimaſexta eſt, eoſdem eſſe ſiccos, id eſt, macros, eadem ratione. Decimaſeptima eſt, cholericos eſſe coloris crocei, id eſt, citrini. Hinc Aui. loco citato: Color ſubrufus ſignificat choleræ dominium.

DE TEMPERATVRA *ſiue complexione Phlegmatica.* Cap. XCII.

PHlegma dabit vires modicas, latóſque breuéſque.

Phlegma

Phlegma facit pingues, ſanguis
reddit medioeres.
Ocia non ſtudio tradunt, ſed cor
pora ſomno,
Senſus hebes, tardus motus, pi-
gritia, ſomnus.
Hic ſomnolentus, piger, in ſpu-
tamine multus,
Eſt huic ſenſus hebes, pinguis, fa-
cie color albus.

Recenſentur hoc loco ſigna complexionis phlegmaticæ. Primum eſt, paucitas virium: phlegmatici enim ſegnes ſunt, & paucas vires habent, ob debilitatem caloris naturalis, vnde quælibet virtus ſiue facultas exordium habet. Secundum eſt phlegmaticos eſſe latos & breues: ineſt enim eis parum caloris innati, nec ſufficit corpus in longum extendere. Extendit igitur ſecundum latum. Tertium eſt, phlegmaticos eſſe pingues, propter frigiditatem & humiditatem. Vnde dicit Auicenna loco aliquoties iam citato, Pinguedo vel adeps ſuperflua ſignificat exceſſum frigiditatis & humiditatis, & cōplexionem corporis frigidam & *Phlegmatici.*

humidam, quia quod in ſanguine pingue, leue, & tenue eſt, vtriuſque materia eſt. Cúmque id venæ extra ſe tranſmiſerint, vbi in frigidas particulas incidit, in iis cõcreſcit, & in adipem ſiue pinguedinem cõuertitur, inquit Galen.*lib.*2. *de temperam.* Sequitur deinde apud eundem, ſanguineos eſſe mediocres in longitudine & breuitate. Quartum eſt, Phlegmaticos magis ad ocia, quàm ſtudia inclinari, nimirùm inſtrumentis veluti torpentibus ob frigiditatem, autore Galen.lib.3. de Sympto. cauſis. Quintum eſt, eoſdem multum dormire, & hoc propter multam humiditatem & frigiditatem, vt innuit Auicen. loco citato. Sextum eſt, Phlegmaticos eſſe tardi & hebetis ingenii. Quemadmodum enim intelligendi facilitas, & ingenii vigor ex calore innato oritur, ita tarditas & hebetudo eorundem à contrario, ſcilicet frigido exordium ſuſcipiunt. Septimum eſt, Phlegmaticos eſſe tardi motus, & hoc propter frigiditatem, quæ facit motum tardum, ſicut caliditas velocem, vt dictum eſt. Octauum eſt, Phlegmaticos eſſe pigros. Nonum, Phlegmaticos eſſe longi ſomni, quorũ cauſæ ſatis ſunt manifeſtæ ex ſuprà dictis.

Duo poſtremi verſus repetunt ſigna prædicta

dicta cum quibusdam aliis. Primum est Phlegmaticum esse somnolentum, id est, inclinari ad nimium somnum. Secundum est, esse pigrum, id est, tardum ad quamlibet operationem. Tertium est, esse multi sputi, propter humiditatem abundantem, vnde sputum multiplicatur. Quartum est, eos habere obtusos sensus, tam internos quàm exteriores. Quintum est, esse pingues. Sextum est, Phlegmaticos esse albos in facie. Albedo enim cutis & maximè faciei, signum est priuationis sanguinis, aut paucitatis eius cum frigiditate, vt dicit Auicenna loco citato.

DE TEMPERATVRA *siue complexione Melancholica.* Cap. XCII.

REstat adhuc tristis choleræ
substantia nigræ,
Quæ reddit prauos, pertristes,
pauca loquentes.
Hi vigilant studiis, nec mens est
dedita somno,

Seruant

Seruant propositum, sibi nil reputant fore tutum
Inuidus & tristis, cupidus, dextræque tenacis.
Non expers fraudis, timidus, luteíque coloris.

Hic referuntur signa complexionis melancholicæ. Primum est, prauitas. Melãcholia enim reddit homines prauos, & malorum morum, quales sunt qui seipsos interficiunt. Secundum est, multa tristitia. Melancholici enim valde tristes sunt, propter spiritus melancholicos, turbidos & tenebrosos, vt homines læti sunt ob spiritus claritatem. Tertium est, taciturnitas. Melancholici enim sunt taciti, & paucorum verborum, propter frigiditatem, sicut nimia garrulitas ex caliditate prouenit. Quartũ est, melancholicos esse aptos studio, propter loca solitaria, quæ amant: Studia enim, vt ille inquit, secessum quærunt. Quintum est, Melancholicos esse breuis vel pauci somni, parúmve dormire, propter nimiam siccitatem cerebri, & fumos melancholicos, causantes somnia terribilia, quibus facillimè expergiscuntur. Sextum est, eos seruare propositum,

Melãcholici.

positum, nec facilè dimoueri ab eo, quod semel menti hæserit, difficultérque placari, & hoc propter siccitatem, quæ non sinit propositum cito mutari. Septimum est, melãcholicos putare nil sibi fore tutum, cóque semper timere, quòd nimirum atrabilis rationalis animæ arcem occupans, timorem inducat. neque id mirandum est, cùm videamus in rebus externis, inquit Gal. lib. 2. de symp. cau. nihil magis quàm tenebras hos perterrefacere. Si igitur quippiam tenebris simile rationali parti animæ circunfundatur, hominem semper timere necesse est, vtpote, qui semper timoris causam in corpore circũferant. Quod enim nobis extrinsecus accidit, cùm ambiens nos aër vastißimis tenebris fuerit obscuratus, id melãcholicis ab intimo corpore erumpere videtur, occupãte cerebrum & ipsamet atrabile, vel vapore quopiam melancholico.

Duobus postremis versibus repetuntur quædã ex prædictis, & adduntur nonnulla alia. Primum est, Melancholicũ esse inuidũ. Secundum, tristem. Tertiũ, auarum. Quartum, tenacem Quintum, fraudulentũ. Sextum, valde timidum. Septimum, lutei, terrestris, siue fusci coloris: color enim fuscus qui viriditati adpropinquat, melancholiæ ostendit

ostendit dominium. Rhazes *2. ad Mansorem, cap. 1.*

DE COLORIBVS.
Cap. XCIIII.

HI sunt humores, qui præstãt cuique colores,
Omnibus in rebus ex phlegmate fit color albus:
Sanguine fit rubeus, cholera rubea quoque rufus,
Si peccet sanguis, facies rubet, extat ocellus.
Inflantúrque genæ, corpus nimiúmque grauatur,
Est pulsúsque frequens, plenus, mollis, dolor ingens,
In primis frontis, fit constipatio ventris,
Siccáque lingua, sitis, sunt somnia plena rubore,
Dulcor adest sputi, sunt acria dulcia quæque.

Enumerantur hoc loco colores, vnde cuiuslibet complexionis indicia habentur. phlegmaticus enim albi coloris est, cholericus rufi, sanguineus rubri, & melancholicus fusci, de quibus omnibus dictum est in præcedentibus.

Secundo loco tredecim habentur signa superabundantiæ sanguinis, quorum primum est, facies rubea, propter ascensum sanguinis ad caput & faciem. Secundum oculorum prominentia, propter extensionem quam facit sanguis multiplicatus. Tertiũ genarum inflatio, ob similẽ causam. Quartum, totius corporis grauitas, quia natura superatur, non sufficiens regere humores, & corpus debile sustentare. Quintum, pulsus frequens, propter caliditatem, quam inducit sanguis multiplicatus. Sextum, pulsus plenus, ob multitudinem vaporum calidorum & humidorum. Septimum, pulsus mollis, propter humiditatem nimiam, arteriam emollientem. Octauum, dolor in fronte, ob sanguinem multiplicatum in rete mirabili. Nonum, ventris constipatio, id est, induratio propter caliditatem nimiã exiccantem feces. Decimum, lingua sicca, ob similem causam. Vndecimum, sitis magna, propter exiccationem orificii stomachi ex nimia

Sãguinis superabũdantis signa.

nimia caliditate. Duodecimum, somnia de rebus rubicundis, vnde Auic. 2. 1. Doctr. 3. cap. 7. Et somnia, inquit, quæ illud significãt, scilicet abũdantiã sanguinis, sunt, sicut cùm homo in somnis res videt rubeas, aut sanguinem multũ ex suo corpore exire, aut se in sanguine natare, & similia. Decimũtertium, dulcedo sputi, propter sanguinis dulcedinem.

SIGNA VERO SVPERAbundantis *choleræ, hisce cõprehenduntur versiculis:*

Accusat choleram dextræ dolor, aspera lingua,
Tinnitus, vomitúsque frequens, vigilantia multa.
Multa sitis, pinguísque egestio, torsio vẽtris,
Nausea fit, morsus cordis, lãguescit orexis.
Pulsus adest gracilis, durus, velóxque, calescens,
Aret, amarescítque, incendia somnia fingit.

SIGNA SVPERABVNdantis *phlegmatis habẽtur ex hisce versiculis:*

Phlegma supergrediens proprias in corpore leges,
Os facit insipidum, fastidia crebra, saliuas.

Castorum

Castorum, stomachi simul occipitísque dolores,
Pulsus adest rarus, tardus, mollis, quoque inanis.
Præcedit fallax Phantasmata somnus aquosa.

SIGNA SVPERABVNdantis *melancholiæ, cōprehenduntur hisce versiculis:*

Humorum pleno dum fex in corpore regnat,
Nigra cutis, durus pulsus, tenuísque vrina.
Solicitudo, timor, tristitia, somnia, tempus,
Crescit rugitus, sapor & sputaminis idem;
Læuáque præcipuè tinnit vel sibilat auris.

DE PHLEBOTOMIA, ET *primò de ætate secandæ venæ.* Cap. XCV.

DEnus septenus vix phlebotomum petit annus,
Spiritus vberiórq; exit per phlebotomiam.
Spiritus ex potu vini mox multiplicatur.

Humo-

Humorúmque cibo dãnum lentè reparatur.
Lumina clarificat, ſyncerat phlebotomia
Mentéſque & cerebrum, calidas facit eſſe medullas
Viſcera purgabit, ſtomachũ ventrémque coërcet,
Puros dat ſenſus, dat ſomnum, tædia tollit.
Auditus, vocem, vires producit & auget.

Aetas phlebotomandi.

Hîc agitur de Phlebotomia, & primò oſtenditur ætas apta Phlebotomiæ, annus nimirum 17. Gal. lib. 11. cap. 14. therap. Methodi. Si in puerum, inquit, incidet, qui 14. annum hactenus non attigit, mitti illi ſanguis non debebit, propterea quòd tantillis, cùm præſertim calidi & humidi ſint; plurimum corporis ſubſtantiæ cotidie defluat, ac digeratur. Ita quod ex incidenda vena moliendum nobis fuerit, id vltrò nobis ex curati natura præſtatur. Et quemadmodũ pueris ante 14. ætatis annũ, ſanguis haud detrahen-

detrahendus, Ita nec senibus post septuagesimum, Modò vires iis parũ validæ sint, & sanguine non admodum abundent. In his enim, inquit Auic. 41. cap. 20. cùm parũ sit sanguinis boni, & multi mali humores, Phlebotomia rapit bonum, & relinquit malos.

Phlebotomia nocina.

Secundo loco, indicatur noxa ex phlebotomia, Quòd scilicet ex multa sanguinis euacuatione, vberior exeat spiritus. Vnde Gal. in lib. de scarificatione sic scriptũ reliquit: Per annũ venã sæpius incidere haud expedire arbitror, quippe cùm vnà cũ sanguine vitalis excernatur spiritus. Atque si hic copiosius absumatur, fit vt tota moles reddatur frigidior, operáque naturalia deterius perficiantur.

Tertiò referuntur remedia, quibus spiritus recuperant, Potus nimirum vini, quia ex omnibus subitò nutrientibus præcipuum est vinum, vt dictum est suprà. Regenerantur etiam & recuperantur ex cibo, sed lentè, id est, tardius. Exhibendus autẽ cibus digestibilis, & qui multũ sanguinis generet, velut oua sorbilia, & huiusmodi. Et licet cibus spiritus regeneret post Phlebotomiam, abstinendum tamen à multo cibo in primo & secundo die sectionis venæ, teste

Remedia.

Cibus.

Rhaze lib. 7. cap. 21. ad Mansorem. Unde Isaac in diætis, Cibus, inquit, est eis minuendus, & potus augendus, respectu scilicet cibi, & non consuetudinis, imò minus eis bibendum quàm ante phlebotomiam, quia virtus digestiua debilior est.

Cōmoda. Quartò enumerantur 11. commoda tempestiuæ phlebotomiæ. Primum est, temperatam phlebotomiam clarificare & confortare visum, quia diminutis humoribus, diminuuntur & effumationes ad caput, & repletiones visum obfuscantes. Secundum est, phlebotomiam, mentem ac cerebrum synceriora reddere, & hoc ob consimilem causam. Tertium est, calfacere medullam, quia minuit superfluitates quæ ad eam venientes ipsam frigidant. Quartum est, purgare viscera, id est, interiora, quia exonerata natura à sanguine, humores crudos in interioribus contentos, melius digerit. Quintum est, phlebotomiam restringere vomitum & fluxum ventris: diuertit enim humores ab interioribus ad exteriora. Vnde Auicen. loco citato, Phlebotomia, inquit, propterea, quòd ad diuersa trahit, naturam secundum plurimum retinet. Et hoc maximè verum est, facta phlebotomia ex venis brachii. Nam phlebotomia

mia ex venis pedum, non ita retinet. Attamen per accidens contingere nonnunquam solet, vt post phlebotomiam sequatur maior fluxus ventris. Idq; dupliciter. Primò, quia per phlebotomiam tollitur onus naturæ, vnde virtus confortata prouocat aliquando & alias euacuationes. Secundò, si fluxus ventris fiat ex multa debilitate virtutis retentiuæ, per phlebotomiam virtus magis debilitatur, & per consequens fluxus ventris augetur. Sextum est, phlebotomiā sensus reddere puros, quia minuit euaporationem ad caput, vnde turbantur sensus. Septimum est, phlebotomiam facere ad somnum impeditum, quia per ipsam euacuantur humores plurimi, vnde eleuati vapores acuti & diuersi impediebant somnum. Octauum est, phlebotomiam tollere tædia & grauitates nimias, quia per ipsam virtus exoneratur à suo grauamine. Educto item per ipsam sanguine, educitur simul & melancholia, fæx sanguinis & causa tædiorum ac grauitatum. Nonum est, phlebotomiam conferre auditui, quia per ipsam imminuuntur vapores & humores ascendētes ad caput, & impedientes auditum. Decimum est, phlebotomiā conferre voci: per ipsam enim imminuuntur super-

fluitates & humiditates, pertingẽtes ad pectus siue cannã pulmonis, & impedientes vocem. Vndecimum est, phlebotomiam augere vires, quia per ipsam corpus à suo grauamine exoneratur, quare virtus augetur.

DE MENSIBVS, QVIBVS *Phlebotomia conuenit, siue nocet.* Cap. XCVI.

TRes insunt istis, Maius, Septẽber Aprilis,
Et sunt Lunares, sunt velut hydra dies.
Prima dies primi, postremáque posteriorum,
Nec sanguis minui, nec carnibus anseris vti.
Sit senium atque iuuenta licet, si sanguis abundat,
Omni mense probè cõfert incisio venæ.
Hi sunt tres menses, Maius, September, Aprilis,

In quibus eminuas, vt longo tem pore viuas.

Hoc loco tria aguntur. Primò dicitur tres menses, Maium scilicet, Septembrem & Aprilem, esse Lunares, ínque iis dies esse, quibus phlebotomia prohibetur. Primam scilicet Maii, & vltimam Septembris & Aprilis. Et vulgò ita quidem fertur, cùm reuera fictum sit, ac prorsus à veritate alienum, Siquidem & hisce diebus, modò constellatio bona sit, venam secare nihil impedit.

Falsum est & quod sequitur de anserũ esu, ac erroneum, magísque sortilegio adscribendum, vel tractum fortè à Iudæorum consuetudine. Secundò dicitur, tam in senio, quàm iuuenta, singulis mensib. modò venæ sanguine abundent, phlebotomiam adhiberi posse, vt in quibus substantia non facilè defluat, & boni sanguinis adsit copia. Tertiò dicitur, incisionẽ venæ pro sanitate tuenda adhibendam esse, in aliquo horum trium mensium, Maio scilicet, Septembri, & Aprili, differenter tamen, quia in Aprili & Maio incidenda est vena hepatis, ob sanguinis multiplicationem, cùm sit tẽpus vernale. In Septembri verò, vena splenis, pro-

pter melãcholiam, quæ per id tempus multiplicatur, cum ſit autumnale.

DE IMPEDIMENTIS Phlebotomiæ. Cap. XCVII.

FRigida natura, & frigens regio, dolor ingens,
Balnea, poſt coitum, minor ætas, atque ſenilis,
Morbus prolixus, potus repletio & eſcæ.
Si fragilis, vel ſubtilis, ſenſus ſtomachi fit.
Et faſtiditi tibi non ſunt phlebotomandi.

Recenſentur hoc loco 12. Phlebotomiæ impedimenta. Primum eſt, frigiditas complexionis. Hæc enim Gal. teſte, phlebotomia augetur, quia ſecundum Iſaac in lib. de vrinis, ſanguis fundamentũ eſt caloris naturalis, quo per phlebotomiã euacuato, neceſſe eſt & calorẽ naturalem imminui, corporiſq; temperaturã frigidiorem reddi. Secundum, regio impenſe frigida. Hæc enim phlebotomiã non ſuſtinet. Eadẽ ratione & tem-

tempus hybernum venæ secandæ idoneum non est: siquidē in profunditate sanguis inclusus detinetur, & qui circa extremitates est, à frigore condensatur, adeò vt fluxioni ineptus fiat. Tertium, dolor ingens, sub quo & nimia corporis inflammatio comprehēdi potest. In quibus si fieret phlebotomia, sequeretur motus agitatiuus naturæ contrarius, cùm sit difformis, & maior inflammatio; quæ & ipsa naturā magis debilitat. Causa motus agitatiui in dolore intenso est, quia fit tractio ad diuersas partes. Per Phlebotomiam enim fit tractio ad locū venæ incisæ, & ex dolore forti fieret tractio ad locum doloris. Causa verò maioris inflammationis est, quia ex phlebotomia cōmouentur humores, vnde etiā magis ex motu inflāmatur. Et hoc verum est si phlebotomia fuerit tēperata & artificialis. Si tamen fiat vsque ad syncopen, prodest in prædictis casibus. hæc enim cùm vincat attractionē doloris, nō facit motū agitatiuū, & similiter tollit inflammationē, cum nō adsint humores, qui cōmoueantur, calefiāt, & maiorem inflammationem inducant. Et hæc est intentio Galeni com. 23. lib. Aphorism. Vbi sic scriptum reliquit: In ardentissimis febribus si vsque ad animi defectionē

sanguis mittatur, statim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur. In maximis verò doloribus nullum maius noui remedium, quàm vsque ad animi defe-
Balneũ. ctionem euacuare. Quartum, balneum, & præcipuè resolutiuum, quod & ipsum euacuat, vnde phlebotomiam impedit. Nam plurimum & repẽte euacuare periculosum est, teste Hipp. lib. 2. Aphor. 51. Hinc Rhazes 7. ad Mansorem cap. 21. Minutus, inquit, nullo modo balneum ingrediatur, & præcipuè si locus fuerit ignitus, donec vulnus consolidetur, & calor atque apostema-
Coitus. ta ipsius sedentur. Quintum, coitus. Post hunc enim prohibetur incisio venæ, sic etiã maxima debilitatio naturæ sequeretur: quippe cùm per coitum corpus iamdudum fortiter calfactum, dissolutum, & debilita-
Aetas. tum sit. Sextum, ætas, vel maior, vel minor quàm requiritur ad phlebotomiam, qualis est ætas infantiæ, & senii, vt dictum est supra. Horum impedimentorum meminit & Auic. loco suprà citato. Tibi quoque, inquiens, cauere debes à minutione & in cõplexione vehementis frigiditatis, & in regionibus fortis frigiditatis, & in hora fortis doloris, & post balneum resolutiuum, & post coitum, & in ætate, quæ est minor 12. annis,

annis, & in ætate senum, quantò magis potens, nisi in figura confisus fueris, & in soliditate musculorum & venarũ amplitudine, & earum repletione, & coloris rubedine. Hos nanque ex adolescentibus & senibus phlebotomare audebis. Adolescẽtes tamen, secundum ordinem ad phlebotomandum paulatim prouehere debes, cum pauca minutione. Septimum, morbus prolixus. Hinc etenim natura dupliciter debilitatur, à morbo videlicet, & à minutione. Auicenna ibidem. In corporibus, inquit, quæ prolixas perpessa sunt ægritudines, caue tibi à phlebotomia, nisi sanguinis fuerit corruptio, quoniam tunc phlebotomabis ea. Octauum, nimia repletio potus. Nonum, nimia repletio cibi, sub qua & indigestio cibi comprehenditur. Causa horum omniũ est, quia secundum Auic. attrahentia sunt tria, vacuum scilicet, calidum, & tota species. Si ergo venæ per phlebotomiam à sanguine euacuarentur, cibum indigestum, vel superfluum, siue potum superfluum, à stomacho vel hepate attraherent, qui indigestus ad membra veniens, non corrigeretur: quia tertia digestio, non corriget peccatum secũdæ, nec secunda primæ, si peccatum sit magnum, vnde in membra non conuerteretur, Repletio.

sed

sed ibi remanens, pareret ægritudines. Decimum, fragilitas, id est, debilitas virtutis. Phlebotomia enim est fortis euacuatio, quã

Debilitas virtus debilis pati non potest. Vndecimũ, subtilis sensus orificii stomachi, quẽ statim à phlebotomia syncope sequitur. Sub hoc comprehenditur & debilitas stomachi, &

Sensus. facilis fluxus choleræ ad orificium eius, inducens ad vomitum facilem choleræ. Vnde habentibus prædicta accidẽtia non conuenit phlebotomia. Per phlebotomiã enim humores cõmoti ad os stomachi impellerentur, ceu ad locum consuetũ: & cùm sit mẽbrum debile & impar ad resistendum illi fluxui, multa illic mala per phlebotomiã accidũt. Et hæc est vna causa cur nonnulli ex phlebotomia in syncopen incidant. Cholera enim ad stomachum fluens, & mordicans stomachũ, ex compaßione stomachi & cor-

Fastidiũ. dis, syncopen adfert. Duodecimum, fastidiũ: si enim in fastidio fieret phlebotomia, venæ euacuatæ materiam malam & fastidii ad se attraherent. Et hæc omnia habẽtur apud Auic. loco citato.

Quibus adduntur & alia quædã, quo-

Mẽstrua. rum primũ est fluxus menstruorũ, siue hæmorrhoidum, qui impedit phlebotomiam, & hoc quantũ ad euacuationem attinet,

licet

licet ad diuertẽdum fluxum, seu materiam posset fieri. Secũdum est, corporis siue compositionis raritas, quia à corporibus raris Raritas. multum dissoluitur, quibus sufficit illa resolutio, nec euacuatione indigent, vt testa. Gal. lib. 9. cap. 17. Thera. Methodi. Tertiũ est, humorum cruditas & viscositas, in qui- Cruditas. bus cauendum est à phlebotomia: augeretur enim cruditas humorum, vnde morbis longis nõ est adhibenda phlebotomia, quia cruditas humorum augeretur, & virtus debilitaretur, & morbus produceretur, timẽdúmque foret de casu virtutis. Quare præcipit Auicenna vt in morbis chronicis fiat pharmacia ante phlebotomiã, & nõ phlebotomia ante pharmaciam, licet vtraque opus habeãt ægri. Sed cruditas humorũ potest accidere duabus de causis, Vel propter abũdantiã humorũ, calorẽ naturalẽ suffocãtiũ, qui d[illegible]litatus ac suffocatus, humores crudos generat, & tũ bene cõpetit phlebotomia, vnde (secundũ Alexandrũ li. 3. ca. 29.) phlebotomia hyposarcæ conuenit, vbi prouenerit ex multitudine sãguinis mẽstrui, cùm prohibeantur fluere menstrua ob aliquã causã: aut ex multitudine sanguinis hæmorrhoidum. Nam quemadmodum videre est ignem viridibus & humidis sub lignis

periclitari

periclitari & extingui, sublatísque è medio his, denuo accendi. Ita & consimili de causa, calore innato sub humorum multitudine suffocato, sanguinem auferre expedit, vt calor recuperetur. Vel propter caloris innati debilitatem, vt in hominibus debilis cōplexionis, & à longo morbo conualescentibus, & senibus, quibus non cōpetit phlebotomia. Sanguine enim in quo calor conseruatur, extracto, & corpore refrigerato, humorum cruditas augeretur. conseruādus ergo sanguis, vt humorum cruditatem digerat.

Aer. Quartum est, aeris indebita dispositio, & nimia caliditas, aut nimia frigiditas: quia per caliditatem nimiam, fortis fit resolutio, & per frigiditatem humores ad fluxum ineptißimi fiunt.

QVAE OBSERVANDA circa Phlebotomiam. Cap. XCVIII.

Haec facienda tibi, quando vis phlebotomari,
Vel quando minuis, fueris vel quando minutus.

Vnctio,

Vnctio, siue lauacrum, & potus, fascia, motus,
Debent non fragili tibi singula mente teneri.

Hoc loco docetur quinque esse obseruãda circa phlebotomiam, aliqua quidem ante phlebotomiam, nonnulla in ipsa phlebotomia, quædam verò post phlebotomiam. Primum itaque est vnctio, quæ aliquando adhibetur in phlebotomia, velut vnctio phlebotomi, & dolor leniatur. Aliquando verò post phlebotomiã, vt consolidatio vulneris retardetur, quò post phlebotomiam humores in venis relicti aliquam habeant respirationem & fumi mali exhibent. Vnctio.

Secũdũ est potus, & præcipuè vini, quod valet & in ipsa phlebotomia, si syncope accidat, & post phlebotomiam pro regeneratione nouorum spirituum, & noui sanguinis. Potus.

Tertium est, lauacrum, id est, balneum, quod valet per duos vel tres dies ante, & per duos vel tres dies post phlebotomiam, & non eodem die. Antè quidem, vt si quis timeat se habere humores crassos: hos enim balneum dissoluit, & commouet, & ob eã- Lauacrũ.

dem

dem causam etiam confert, si antè sumatur parum syrupi acetosi, & fiat motus, vt humores dissoluantur & extenuentur: vnde etiam tempore phlebotomiæ fricandum est brachium, vt humores existentes in venis brachio propinquis, extenuẽtur, & ad exitum præparentur. Post phlebotomiam verò *valet, vt reliquiæ humorum & vaporum resoluantur.* In ipso die *phlebotomiæ non conuenit, quia per balneum cutis lenis redditur, vnde percußionem factam in* Phlebotomia *fugit, & hoc est periculosum.*

Quartum est fascia, id est, ligatura cũ pannis lineis, quæ immediatè post phlebotomiam valet ad reprimendum fluxum, & ante phlebotomiam, & vt propellãtur humores ad locum phlebotomiæ, & vt inde venæ incrassatæ melius videantur.

Fascia.

Motus.

Quintum est motus, siue inambulatio temperata, quæ potest fieri antè, vt humores dissoluantur, & extenuẽtur, & pòst, vt resoluantur reliquiæ humorum ex phlebotomia relictæ. Vulgò *consuetudo inualuit, vt vena ieiuno & vacuo stomacho incidatur, sed tamen* Doctoribus *quibusdam conducibilius videtur, vt ante phlebotomiam administretur ouũ molle sorbile cum haustu vini, ídque circa horam nonam, vel decimam*

cimam ante prandium, & confestim deinde vena secetur. Stomacho enim existente vacuo, natura fortißimè sanguinē retinet, ne deficiat in nutrimento. Sed cum cibus plurimum nutriens est in stomacho, cuiusmodi sunt oua sorbilia, & vinum, tum natura facilius ire sanguinem patitur.

DE EFFECTIBVS QVIbusdam Phlebotomiæ. Cap. XCIX.

Exhilarat tristes, iratos placat, amantes.
Ne sint dementes, phlebotomia facit.

Hîc referuntur tres effectus phlebotomiæ. Primus est, phlebotomiā exhilarare, id est, hilares ac lætos reddere homines cōtristatos. Secundus est, phlebotomiā placare & reconciliare iratos, quorum vtriusq; causa est, quòd in sanguine, quando multa commisceatur melancholia, fiat tristitia, & quando multa cholera, ira: cùm melancholia sit causa tristitiæ, & cholera, iræ. Sed vterq; horum humorum educitur Hilaritas. Mansuetudo.

eum sanguine propter commixtionem.

Tertius est, prohibere amantes, ne insaniant. Expellit enim & diuertit humores à capite ad partes exteriores. Quinque porrò causæ habentur, propter quas fiat phlebotomia. Prima directa est, reliquæ verò indirectæ. Directa quidem, vt abundantia sanguinis euacuetur, siue abundet in qualitate, siue in quantitate, siue in vtraque.

Castitas.

Nam duo genera hominum, Auic. teste, phlebotomia indigent, quorum vnum est eorum hominum, qui iam parati sunt incidere in ægritudines, vt qui habeant abundantiam sanguinis in quantitate. Alterum verò illorum, qui iam in ægritudinem inciderunt, propter humorũ, siue sanguinis malitiam. Sed differt horũ phlebotomia. ob sanguinis enim abundantiam phlebotomiã multam esse conuenit, sed si in qualitate peccans prauus sit, competit phlebotomia pauca, vnde iuxta Galeni sententiam lib. 9. Thera. Method. Si sanguis malus in corpore fuerit, euacuandus est paulatim.

Quare multum illi peccant, qui vidẽtes sanguinẽ malum, eousque de industria sanguinem auferunt, quoad videant sanguinẽ effluere bonũ, cùm forte totus sanguis prius

exeat,

exeat, quàm bonus appareat. Debet ergo fieri pauca euacuatio. Et vt Galenus autor est, in huiusmodi casu ante phlebotomiam exhibendus est cibus bonum sanguinem generans, vt in locum mali sanguinis bonus substituatur. Ac paulò post sequetur phlebotomia pauca. Hæc phlebotomia dicitur directa, quia fit per se, ad euacuationem illius, quod per se venæ sectione euacuari debet, scilicet, ad euacuationẽ plenitudinis humorũ, siue sanguinis. Principaliter tamẽ secundum quod cum eo sunt alii humores.

Prima causa indirecta, est magnitudo morbi siue apostematis vehementis inflammationis. In apostemate enim vehementis inflammationis, in febribus & doloribus maximis, non inuenitur maius remedium quàm phlebotomia, teste Gal. comment. 23. lib. 1. Aphor.

Secunda causa indirecta est, vt retrahatur materia ad partem, per quam euacuari debet. Vnde in retentione menstruorum & hæmorrhoidum, aperienda est Saphena, vt testatur Gale. in lib. de curãdi ratione per sanguinis mißionẽ. Plenitudines, inquit, à suppreßis mẽsibus ortas omnino per crura euacuabis. Idẽ comprobat & Auic. 41. ca. 20. vt trahatur scilicet mate-

ria ſanguinis deorſum.

Tertia cauſa indirecta eſt, vt humores trahantur ad locum contrarium loco, ad quem ſua ſponte fiunt, & hoc vt diuertatur ac reuellatur materia à loco, in quem fluũt humores, vnde in nimio fluxu mẽſtruorum ſecanda eſt baſilica, vt repellatur materia ad locum contrarium, & diuertatur à ſuo fluxu.

Quarta cauſa indirecta eſt, vt per phlebotomiam portio vna materiæ euacuetur, & natura reſiduum euincere valeat. Atque ita tandem competit phlebotomia, ſi repletio in corpore fuerit, ne fiat apoſtema: natura enim reſpectu regiminis illorum humorum debilis eſt, ideo vna portio illius materiæ eſt euacuanda, ne ob imbecillitatem & impotentiam naturæ, materia fluat ad locum aliquem debilem, vbi aggregata, apoſtema generet.

DE SCISSVRAE QVANTITATE IN VENÆ SECTIONE. Cap. C.

FAc plagã largam mediocriter, vt cito fumus

Exeat vberius, liberiúsq; cruor.

Vnicũ hic habetur præceptum de quãtitate scissuræ in venæ sectione, vt scissuræ scilicet sit mediocriter larga, quò fumus & crassior sanguis liberius exeat. Scissura enim stricta existẽte, subtilis tantùm sanguis exit, & remanet crassus.

Sciendum autem aliquando in phlebotomia faciendum esse vulnus magnum, aliquando verò paruum. Et magnum quidem tribus de causis. Primò quidẽ quando humores sunt crassi, & crassus sanguis euacuãdus est, vt per vulnus magnum sanguis facilius poßit exire, vnde Melancholicis faciendum est magnum vulnus. Secundò, propter temporis frigiditatem, quod humores incrassat, quare hyeme faciendum est vulnus magnum. Tertiò, propter abũdantiam humorum, qui melius per vulnus magnum, quàm paruum euacuantur. Sed vulnus paruũ fit, cùm est virtus debilis, vt de spiritibus & calore minus euacuetur. Et in tempore calido eadem de causa, & quãdo est sanguis subtililis & tenuis.

QVAE CONSIDERANda circa venæ sectionem. Cap. CI.

SAnguine subtracto, sex horis est vigilandum,
Ne somni fumus lædat sensibile corpus,
Ne neruũ lædas, non sit tibi plaga profunda,
Sanguine purgatus, ne carpas protinus escas.

Recensentur hoc loco tria in venæ sectione consideranda. Primum est, ne is cui vena secta est immediatè post phlebotomiã dormiat, nisi ad minus sex præterierint horæ: ne fumi, qui scilicet in somno causantur, ad caput elati, cerebrum lædant. Attamen & aliæ causæ adsignari possunt, quarũ prima est, ne in somno æger se vertat supra brachiũ in quo vena secta est, & ita lædatur. Secunda est, ne humores in somno ad læsum mẽbrum fluant, in quo dolor est, propter ictũ phlebotomi, fiatq; apostema. Nã Somnus.

vt

vt Gal. com.1. lib.2. Aphor. testatur, Si in somno fiat apostema intra corpus, aut mẽbrum lædatur, eodem confluunt & humores. Auicenna verò aliam adsignat causam, quòd scilicet per somnum poßit accidere cõfractio membrorum, quia somnus, vt Galenus loco citato autor est, in principiis accessionum cõpetit. Calor enim naturalis in profundũ corporis vergit, & fortis partium exteriorũ refrigeratio contingit, fumiq; incõsumpti remanent, vnde rigor augetur, & paroxysmus prolongatur. Eodem modo fumi ob humorum cõmotionem & in phlebotomia, ad neruos & lacertos eleuantur, qui si non consumantur in somno, infrigidantur & inspissantur in exterioribus, & faciunt neruorum lacertorúmque confractionem, si immediatè post venæ sectionem somno indulgeatur. Alia ratio, quia materiã inspissat, & facit cõfractionẽ, sicut in quartana, in cuius typo fit confractio ob frigiditatem & craßitiẽ materiæ. Nerui autẽ & lacerti sunt frigidi, quare ad ipsos veniens fumus in somno, in quo fit retractio caloris ad interiora, infrigidatur & dẽsatur. Fumus autem infrigidatus & densatus, frigiditatem & craßitiẽ inducit mẽbro, siue confractionem: ad mẽbrum enim consimile, consimiles

properant ægritudines. Et hoc verum est, de somno phlebotomiæ vicino, & non remoto.

Plaga. *Secundum est, vt venæ sector caueat, ne nimis profundã plagã incutiat in sectione venæ, ita vt phlebotomo lædat neruũ, vel arteriã venæ subiacentem. Nam ex læsione nerui, spasmus, spasmũ deinde acerbissima mors sequitur, vel ad minus amissio membri, vtpote brachii, siue digiti, &c. Ex læsione arteriæ sequitur fluxus sanguinis arterialis, difficillimè curabilis.*

Cibus. *Tertium est, ne is cui vena secta est, protinus à venæ sectione cibũ sumat, sed expectet donec humores quiescãt, nec cibus, antequã digeratur, ad subueniẽdum membro læso, cum sanguine simul attrahatur.*

QVAE VITANDA SINT *post Phlebotomiam.* Cap. CII.

OMnia de lacte vitabit ritè
minutus,
Et vitet potum phlebotomatus
homo,

Frigida vitabis, quia ſunt inimica minutis,
Interdictus erítque minutis nubilus aër.
Spiritus exultátque minutis luce per auras,
Omnibus apta quies, & motus ſæpe nociuus.

Hîc præcipitur quinque vitãda eſſe ei, cui vena ſecta ſit. Primũ eſt, lac & lacticinia: ex commotione enim humorum per phlebotomiã, ſæpe fluunt humores aliqui ad ſtomachum. Si ergo lac ſumeretur ex cõmixtione illorum humorũ, lac in ſtomacho corrũperetur, eò quòd per ſe facillimè corrũpatur, proptérque dulcedinem nullo negocio indigeſtũ ad venas raperetur, ac ob humorum cõmotionem facilè corrumperetur. Lacticinia. Potus.

Secundum eſt, vt caueat à potu nimio: quia propter euacuationem venarum, potus facilè ad venas indigeſtus raperetur, vt iam dictum eſt.

Tertium eſt, vt vitet omnia frigida, tã intra corpus ſumpta, quàm extrinſecus adhibita, cibaria nimirũ frigidiora, aerẽ fri- Frigida.

gidum, balneum frigidum, tenuitatem vestium, seßionem supra petram, frigiditatem capitis, vel pedũ, quia calore naturali per phlebotomiam debilitato, corpus facillimè nimis infrigidaretur.

Nebulæ. *Quartum est, ne incedat, siue ambulet in aere tenebroso, nebuloso, turbido. Hic enim cõtristat animam, vt dictum est suprà cap. 14. Tristitia enim causa est sanguinis melancholici, sed ambulet potius in aere claro & lucido, quia im tali spiritus vitales, naturales, & animales recreantur, mouentúrq; ad exteriora, congaudentes simili.*

Quies. *Quintum est, vt quærat temperatam quietem, & motum exceßiuum vitet, quia motus exceßiuus hominem maximè debilitat, & humores commouet, quies verò temperata motum sedat.*

QVIBVS MORBIS ET *Aetatibus conueniat venæ sectio, & quantum sanguinis quoque tempore detrahendum.* Cap. CIII.

PRincipiò minuas in acutis, perperacutis,

Aetatis mediæ multum de sanguine tolle.
Sed puer atque senex tollet vterque parum.
Ver tollat duplum, reliquum tẽpus tibi simplum.

Quatuor hîc determinantur. Primum est, venam secandam esse in principio perperacutarum, id est, maximè acutarũ ægritudinũ, quæ videlicet terminãtur die quarta: Breues enim sunt, nec cõcedũt inducias, & ob id statim à principio curandæ sunt.

Secundum est, vt in ætate media, ab anno nimirum 30. vsque ad annum 45. vel 50. amplius de sanguine extrahatur, quàm in aliqua aliarum ætatum, quia in hac ætate maximè augetur & crescit sanguis, neq; eius subtractio impedit augmentum, neque diminuit virtutẽ corporis, quod in ea ætate non augetur, neque diminuitur sensibiliter, sed stare veluti videtur.

Tertium est, senibus & pueris parum sanguinis detrahendum, quia in pueris sanguis multus ad nutritionem & augmentationem requiritur. In senibus verò virtus iam incipit debilitari.

Quartum

Ver. Quartũ est, vt in Vere dupla sanguinis quantitas per phlebotomiam detrahatur, respectu habito ad alia tẽpora. Vere enim maximè crescere sanguinẽ apud omnes autores medicinæ in confesso est.

Porrò, quod ad primũ attinet, regulæ quædam circa phlebotomiam obseruandæ sunt. Quarum prima est, vt in principio morbi non fiat Phlebotomia. Medicus enim, teste Gal. cap. 87. artis medicinalis, est minister naturæ. Omnium, inquit, natura opifex est, Medicus autem minister. Et in com. 22. lib. 4. Aphor. Quando, inquit, aliquis incipit morbus, nihil tunc excernitur, naturæ ratione. Sicuti ergo natura in principio morbi non euacuat, ita nec Medicus. Hoc tamen in tribus casibus habet instantiam. Primò in materiæ furiositate, id est, si materia turgeat, vnde Auic. 4. I. cap. 20. In principio morbi phlebotomia penitus dimittatur, quia humores commouet, & subtiliat, & eos per corpus fluere facit, ac sano sanguini admiscet, nisi materia sit furiosa, id est, turgeat. Secundò, in materiæ multitudine. Hinc Gal. com. 29. lib. 2. Aphor. testatur phlebotomiam, siue purgationem oportere fieri circa principia, quò minorẽ iam factam materiam facilius possit

ſit natura concoquere. Tertiò, in morbi magnitudine & vehemētia, vt in apoſtemate magno, & doloroſo, licet nō ſit multa materia, ſcilicet antecedēs in corpore. Vnde Gal. li.13. Ther. Methodi ſic inquit: Si apoſtema fuerit magnū, vena prīcipio ſecetur, licet nō ſit materiæ multitudo, ne crepet, aut aperiatur apoſtema antequā maturetur. Quare vt magna Sympt. euitētur adhibēda eſt ſectio.

Secūda regula eſt, ne fiat phlebotomia in die motus ægritudinis, veluti in criſi, in qua neq; phlebotomia, nec aliqua alia euacuatio fieri debet, ne materia à loco ad quē natura ipſam pellit, diuertatur. Similiter nec in paroxyſmo. Rectéque Gal. præcipit com. 29. lib. 2. Apho. vt morbo iam conſiſtēte, neque venæ ſectio, neq; purgatio adhibeatur, quòd coctiones tunc maximè fiāt, q̄ melius in quiete quàm motu perficiūtur. Cæterùm ſicut ſe habet ſtatus ad integrū morbū, ita & Paroxyſmus reſpectu dierum interpolationis. Quare quemadmodum in ſtatu non eſt euacuandum, ita nec in Paroxyſmo.

Tertia regula eſt, vt phlebotomia nō fiat in principio morbi, quādo criſis eſt remota, quia, teſte Iſaac in opere de vrinis, Sanguis eſt fundamentū caloris naturalis, ipſum ſcilicet ſuſtinens, licet cor ſit fundamentū generans, & ſpiritus fundamentū deportans,

ſed ſanguis eſt fundamentum caloris naturalis, quia ex eo vt materia, calor naturalis generatur, vnde per ſanguinis euacuationẽ euacuatur calor, qui materiã morbi debebat digerere, & virtus debilitatur, vt timendũ ſit, ne propter longitudinẽ morbi & debilitatẽ virtutis, natura ſuccũbat.

Quarta regula eſt, ne in corpore habente feces in inteſtinis, fiat phlebotomia. Tria enim ſunt attrahentia, calidum ſcilicet, vacuum, & tota ſpecies. Quia ergo per phlebotomiam venæ euacuatæ à membris ſibi propinquis attrahunt, quemadmodum & Meſaraicæ à ſtomacho, accidit vt venter magis conſtipetur, materiáque in venis cõtenta plus inficiatur. Meſaraicæ enim attrahunt humiditatem ſecum, & feces plus deſiccantur. Vnde venter primò leniendus eſt per ſuppoſitoria aut clyſterem, niſi per ſe laxetur.

Quinta regula eſt, ne fiat phlebotomia multa, Hinc enim circa ſenium generantur multi morbi mali, velut epilepſia, apoplexia, & paralyſis, quia ob ſanguinis & caloris remotionem generantur multæ ſuperfluitates phlegmaticæ, quæ ſunt cauſæ harum ægritudinum.

Sexta regula eſt, ne fiat phlebotomia in

muliere

muliere cui menſtrua fluunt, aut vtero gerente. In vtero gerente quidem, ne per hoc calor digerens cibum, diminuatur, & alimentum fœtus auferatur, & maximè ſi fœtus ſit maior, quia plurimo indiget alimento, teſte Hipp. lib. 5. Apho. 31. In muliere verò cui menſtrua fluunt, ſcilicet naturaliter, & ſecundum reuolutionem menſis, non eſt ſecãda vena, niſi in fluxu nimio menſtruorum ad diuertendam materiam. Sed quando eueniunt naturaliter, & ſecundum debitum curſum naturæ, ab hac prorſus eſt abſtinendum, cùm materia euacuetur ſufficienter à natura, neque natura debeat diuerti ab operatione.

Septima regula eſt, ne poſt cholericam paßionẽ fiat phlebotomia. Cùm enim phlebotomia commoueat humores, timendũ ne per hoc humor cholericus ad ſtomachum fluens, ipſum inflammet: neque fiat poſt vomitũ, ne eodem modo ad ſtomachũ fluant: neque poſt fluxum ventris neque poſt vigilias magnas, neque poſt motum fortem, & in ſumma neque poſt vllum valde excalfaciens, ſiue multum diſſoluens: quia phlebotomia humores magis commoueret, virtutémque magis debilitaret.

Poſtremò videndum eſt, quibus hominibus

bus phlebotomia conueniat, Ad quod quidem regulæ nonnullæ ponendæ sunt. Quarum prima est, phlebotomiam conuenire hominibus delicatis, ociosis, & quietam vitã agentibus, valde corpulentis, & alimento multum sanguinem generante vtentibus. Secunda est, phlebotomiam conuenire illis qui abundant sanguine, quod cognoscitur per vrinæ craßitiem. Abundantia enim sanguinis reddit eam crassam, sed cholera tenuem. Tertia est, phlebotomiam conuenire illis in quibus abundat melancholia. Vnde cùm multa melancholia naturalis discurrit cum sanguine per totum corpus, eò quòd sanguis in hepate ab ea non emundetur, confert phlebotomia, deinde verò & purgatio. Duplex verò melancholia est, naturalis scilicet, & innaturalis. Naturalis, est fex sanguinis, quæ cùm abundat, ipsa cum sanguine per phlebotomiam euacuatur, vnde ad eius euacuationem, secanda vena est. Ab eodem calore enim, scilicet temperato, fiunt sanguis & melancholia. Postea sequetur euacuatio pharmaci. Quarta est, quòd illis in quibus timetur humorum ebullitio, conturbatio, & calfactio, conueniat phlebotomia, iisque statim vbi senserint se calefieri secanda vena est, cùm sit timor ebullitionis,

Quibus conuenit phlebotomia.

litionis, conturbationis & calefactionis, propter humorum abundantiam. Aliquando tamen decipiuntur nonnulli per hanc regulam. Quamprimum enim sentiunt calfactionem, & timent de humorum ebullitione, statim phlebotomia vtũtur. Et cùm hoc acciderit ex cholera calfactione & incensione, per phlebotomiam non cessat calfactione ebullitio, imò augetur: quia phlebotomia humores commouet, & per corpus discurrere facit. Quare non conuenit phlebotomia, nisi ex hoc sit abundantia humorum, quod cognoscitur per sudoris multitudinem, & præcipuè tempore matutino. Aliqui enim non sudant, nisi quando euacuatione indigent. Quinta est, vt illis fiat phlebotomia, qui habent virtutem fortem, & sunt sanguineæ complexionis, non frigidæ & siccæ. Vnde Rhazes 7. ad Manso. cap. 2. Corpora, inquit, quæ phlebotomiam magis tolerare possunt, sunt quæ venas manifestas & amplas habent, Filosáque sunt & bruna, atque ex colore rubeo & fusco mixtis, sunt colorata, & iuuenes & adolescẽtes, & senes non decrepiti. Pueri verò & infirmi minuendi non sunt, nisi magna incumbente necessitate. Legatur & Auic. 4. 1. cap. 20.

Quæ

QVAE MEMBRA, QVO-que tempore venæ ſectione euacuanda. Cap. CIIII.

VEr, æſtas dextras, autumnus, hyémſque ſiniſtras.
Quatuor hæc membra, hepar, pes, cepha, cor, vacuanda,
Aeſtas hepar habet, Ver cor, ſicque ordo ſequetur.

Hic recenſentur quædam ſpectantia ad membra per phlebotomiam euacuanda. Et primò quidem dicitur: Vere & æſtate ſecandas eſſe venas dextræ partis: dextræ ſcilicet manus, brachii, vel pedis. Sed hyeme & autumno ſiniſtras, ſiniſtræ ſcilicet manus, brachii, vel pedis. Vere enim creſcit & augetur ſanguis, æſtate cholera, vnde in vere & æſtate euacuandæ ſunt venæ, in quibus ſanguis & cholera magis abundant, ſúntq; illæ venæ dextræ, quia in dextra corporis parte collocatum eſt membrũ ſanguinem generans, hepar nimirum & cyſtis fellis, receptaculum choleræ. In autumno verò generatur melancholia, quæ etiam coaceruatur, nec reſoluitur per hyemem, vnde in autumno

autũno & hyeme secãdæ sunt illæ venæ, in quibus melãcholia magis dominatur, súntq; venæ sinistræ. In sinistra enim parte corporis situs est splen, receptaculũ melancholiæ.

Secundò dicitur, hæc quatuor membra, cepha, id est, caput, cor, pedem, & hepar, iuxta quatuor partes anni esse euacuanda. Cor quidem in vere, hepar in æstate, caput in hyeme, & pedes in autumno.

DE COMMODIS EX *sectione Saluatellæ.* Cap. CV.

EX Saluatella tibi plurima dona minuta,
Splenem, hepar, pectus, vocem, præcordia purgat.
Innaturalem tollit de corde dolorem.

Referuntur hoc loco sex commoda ex sectione venæ, quã saluatellam vocant. Estq; vena in dorso manus inter digitum auricularem & annularem. Primum est, purgare splenem. Secundum, enudare hepar. Tertium, mũdificare pectus. Quartum, auferre Splen.

nocumẽta vocis. Quintum, præseruare præcordia, id est, orificium stomachi à nocumẽto. Sextum, tollere dolorẽ innaturalem cordis. Ratio omnium est, quòd hæc vena ab omnibus illis locis sanguinem euacuet, vt paulò pòst declarabitur.

Pro maiori declaratione sciendum est in phlebotomia, aliquando aperiri venas, aliquando verò arterias. Sed in sectione arteriæ est periculum ex nimio fluxu sanguinis, qui contingit duplici de causa: Prima est, caliditas vehemens sanguinis arterialis. Calidũ enim facilè mouetur, arteriámque dilatat, & aperit, quare iuuat multum euacuatio sanguinis in phlebotomia arteriæ. Secũda est, arteriæ mobilitas, vnde tardius in ea vulnus curatur: Vulnera enim non curantur nisi quiescant.

Prodest tamẽ hæc phlebotomia tripliciter. Primò, quando est in corpore tenuioris sanguinis abundãtia. Secundò, quando vaporosi. Tertiò, quando calidißimi. Sanguinis enim tenuis & subtilis, vnde calor naturalis & spiritus fiunt, sedes in arteria est. Sed sanguinis craßi, quo mẽbra nutriũtur, in venis, & vaporosi similiter in arteria, Sanguinis verò sanguinei, in venis receptaculum est. Sanguis etiã calidißimus, qui à corde

corde mẽbro calidißimo perficitur ac digeritur, in arteria cõtinetur. Ali⁹ verò in venis.

Secundò sciendum est, venarum sectionẽ multis adhiberi membris. Aliquando brachio siue manui magnæ, nõnunquã paruæ, quandoque pedi, aliquando naso, nonnunquam fronti, quandoque labiis, aliquando linguæ siue palato, nonnunquam oculorum angulis frontẽ versus. In manu maiori, quæ est ab axillis vsque ad cubitos, sunt quinq; aperiendæ venæ, secundum Rhazen 7. ad Manso. cap. 21. Et Auic. loco citato. Vna vocatur Cephalica, quæ est vena capitis. Altera, Basilica, q̃ est vena hepatis, & dicitur Hepatica. Tertia Mediana, siue cordiaca, siue nigra, secundũ Auic. siue matrix, secũd. Rhaz. Quarta, axillaris. Quinta finis brachii. In manu minori est sceiles siue saluatella, & ita in brachio, tã secũdũ maiorẽ manũ quàm minorẽ aperiendæ sunt venæ sex.

Cephalica, quam & humeralem vocãt, è partibus euacuat quæ supra collum sunt, quare confert paßionibus capitis, vt hemicraniæ, maniæ, & similibus calidis paßionibus, siue ex materia calida. Incipit autẽ siue oritur ab humero, & tendit versus sinistram brachii partem. Cephalica.

Basilica euacuat ĩmediatè à partibus sub Basilica.

collo collocatis, vt à pectore & hepate. Cōfert ergo paſsionibus pectoris & hepatis & ſimilium, vt in pleuritide. Incipit autē hæc ab axillari, & tendit ad partem domeſticā brachii, id eſt curuaturam.

Mediana. Mediana, eſt media, ſitu & compoſitione, inter duas prædictas, quia ex eis componitur. Eſt autem ramus vtriuſque. Eſt etiam in euacuatione, quia vndique euacuat, ab inferioribus partibus ſub collo, à collo & ſupra collum. Vnde exquiſitiſsima omnium humorum euacuatio fit per huius venæ ſectionē, & vniuerſalis toti corpori. Vniuerſalis quidem, non vt quibuſdā placet, quòd à corde oriatur, Sed quòd ſit ramus cephalicæ & baſilicæ. Vnde ſanguinem à cephalica detracturus, eáque nō appareat, debet confugere magis ad medianā quàm Baſilicam: & ſimiliter quādo baſilica non appaiet, magis ad medianam quàm cephalicā.

Saluatella. Sceiles ſiue Saluatella vena eſt inter auricularem & annularem, magis tamen ad annularem digitum inclinans, & oritur à baſilica. Hæc aperitur in dextra manu in oppilatione hepatis, & in ſiniſtra manu, in oppilatione ſplenis. Quare hoc fiat, neſcitur ratione, inquit Auic. ſed experientia. Hanc enim inuenit Gal. per inſomniū admonitus,

vt ipse refert. Habebat enim in cura laborantem quendam oppilatione hepatis & splenis, & somniabat se incidere patienti hanc venam, itaque fecit, & curatus est. Ex hac fit phlebotomia, ponendo manum in aquam calidam, quia subtilis est, vt incrassetur & dilatetur, neque vulnus citius quàm par est claudatur, & vt sanguis crassus extenuetur.

Axillaris sita est sub basilica, & apparet in ligatura brachii, de hac idem est iudicium cum basilica. Funis brachii, sita est supra cephalicam, siue altius brachii versus partem sinistram. Et est idem iudicium de hac & cephalica. Licet autem secundũ Galen. & Auicen. in venæ sectione fiat euacuatio vniuersalis à toto corpore, non tamen ab omnibus venis æqualiter, vt visum est. Licet etiam venæ à toto corpore euacuent, non tamen in eis timor est æqualis, imò cephalica secundum Rha. est securior. Et basilica magis timenda & cardiaca, licet minus quàm basilica. Cephalica est securior, quia iuxta eam nõ est neque neruus neque arteria, neque super eam. Sed sub cardiaca est neruus, & altius supra eam est neruus subtilis, quare timendum, ne neruus incidatur. Basilica est periculosa valde, Axillaris.

quia sub ea arteria est, & iuxta eam neruus & musculus, quare admodum timenda. Sceiles Saluatella, non est periculosa, sed tamen subtilis, vnde conuenit in sectione eius, manum in aquam calidam inseri.

Pedis venæ. In pede suut tres venæ, Ischiatica scilicet, Saphena, & vena poplitis. Quæ aperiuntur, quando volumus sanguinē auertere ad partes inferiores, vt in prouocatione menstruorū. Et illa quæ est in poplite, iuxta Auicen. sententiā, magis valet quàm Saphena, aut Ischiatica, quia propinquior est matrici, vnde etiā melius potest ab ea trahere. Saphena verò, à virga, testiculis, et à matrice, sanguinē attrahit. Sed Ischiatica ab anchis, renibus & mēbris collocatis versus partem syluestrem, melius trahit. Saphena verò, matrice, & mēbris positis versus partem domesticā, licet sint rami vnius venæ.

Frontis vena. In medio frontis, est vena vna aperienda in antiquatis paßionibus faciei, vt in morphea, impetigine, scabie, & paßionibus oculorum, prius tamen fieri debet minutio de cephalica.

Nasi. Et similiter vena est in naso, in quarum vtriusque sectione, collum sudariolo adeò stringendum est, vt capitis partes intumescant, ita enim melius conspiciuntur.

In

In labiis item venæ ſunt, quæ aperiun- tur propter apoſtemata oris, aut gingiua- rum: Cephalica tamen prius minuta. In palato ſunt venæ quatuor, quæ ſi aperian- tur, conferunt fluxui rheumatis ad dentes, inq; eis dolorẽ facientis. Et illæ venæ ſunt manifeſtæ, & incidendæ materia digeſta. Labiorũ.

Item quædam ſunt venæ in angulis oculorum, verſus frõtẽ, & aperiũtur in paſ- ſionibus oculorum, cephalica prius minuta. Oculorũ.

Itẽ quædã ſunt venæ ſub lingua, quæ ape riũtur in angina, cephalica prius minuta. Linguæ.

Sunt item venæ in temporibus retro au- res, quæ inciduntur propter hemicraniam, & capitis dolorem magnum, & ægritudinẽ diuturnã, & has Hippocrates in li. de aëre aquis, & locis, & Auic. Iuueniles vocant, quarum inciſio reddit hominem ſterilem. Temporũ

In collo etiam ſunt venæ, vocatæ guidegi, quæ minuendæ ſunt in principio lepræ, & fortis anginæ, & coanguſtatione anhelitus, & aſthmate acuto, & raucedine vocis, in apoſtemate pulmonis, in diſpnœa, in ægritu dinibus ſplenis, & laterum, teſte Auic. Colli.

IOACH. CAMERARIVS

de Diæta poſt Phlebotomiam.

Prima cœna die fit miſſo ſanguine parca,
Lux abeat lætis aucta ſecunda modis.

Tertia sed placidæ debetur tota quieti,
Quarta & quinta sibi mollius esse volūt.
Balnea sexta petit, mox septima colligit auras,
Fértque vagos circū rura nemúsq; pedes.
Octaua amplexus dilectæ cōiugis, & quæ
Antè fuit, vitam restituisse solet.

DE CAPITIS DOLORIBVS. *Cap.* CVI.

SI capitis dolor est ex potu, lympha bibatur,
Ex potu nimio nam febris acuta creatur.
Si vertex capitis, vel frons æstu tribulentur,
Tempora, frónsque simul, moderatè sæpe fricentur,
Morella cocta nec nō calidáque lauentur.

Hoc loco duo notantur. Primū est, si cui dolor capitis accidat ex potu nimio vini, vel alterius cuiusque potus inebriantis, vt is in potu vtatur aqua frigida. Hæc enim frigiditate sua & crassitie impedit, ne fumi

ex eiusmodi potu eleuati, cerebrũ petant, ipsúmque lædant. Secundum est, si vertex capitis siue frons nimio calore æstuet, vt hîc tempora & frons moderatè fricentur, & lauentur deinde aqua decoctionis morellæ calida. Morella enim, quæ communiter à medicis Solatrum dicitur, refrigerat, quia frigida est in secundo gradu. *Morella.*

Contra fluxum ventris.

Qui fluxum pateris, si non caueas, morieris,
Concubitũ, nimiũ potũ, cum frigore motũ.

DE QVATVOR TEMPORIBUS anni. Cap. CVII.

TEmporis æstiui ieiunia corpora siccant,
Quolibet in mense & confert vomitus, quoque purgat
Humores nocuos stomacho, anfractus lauat omnes,
Ver, autumnus, hyems, æstas, dominantur in anno.
Tempore vernali calidúsque aër humidúsque.

Et

Et nullum tempus melius ſit phle
botomiæ,
Vſus tunc homini Veneris cõfert
moderatus,
Corporis & motus, ventríſque
ſolutio, ſudor,
Balnea, purgentur tunc corpora
per medicinas,
Aeſtas more calet ſicca, & noſca
tur in illa
Tunc quoque præcipuè cholerã
rubeam dominari,
Humida, frigida fercula dentur,
ſit Venus extrà.
Balnea nõ proſunt, ſint raræ phle
botomiæ.
Vtilis eſt requies, ſit cum mode-
ramine potus.

Plurima cõprehendũtur hoc capite. Primum eſt, ieiunia per æſtatẽ corpora validiſſimè exiccare. Aeſtas enim cũ natura calida & ſicca ſit, humores corporis reſoluit, quæ

etiam

etiam resoluũtur per id tẽpus multiplicatis sudoribus, & ita superueniente ieiunio, corpora magis aresiũt, quia absente humido cibi, calor corporis in humiditates proprias aget, ipsas exiccãdo: Rectè igitur Hipp. lib. 7. Aphor. 61. Corporibus, inquit, carnes habẽtibus humidas, famẽ adhibere conuenit. Fames enim corpora siccat. Secundũ est, vomitũ conferre in quolibet mẽse: per hunc enim euacuãtur humores noxii, qui toti ambitui stomachi inhærent. Idẽ testatur Auic. 4. 1. ca. 13. Hipp. inquit præcepit vomitũ fieri in vnoquoq; mẽse duobus diebus cõtinuis, ut secũdo die expellatur, quod primo expelli nõ potuit. Per hoc enim secundũ Hippocratẽ, sanitas cõseruatur. Vomitus enim mũdificat stomachũ, euacuãdo phlegma & cholerã. Stomachus nãque nõ habet, quod ipsum mundet, sicut intestina cholerã rubram, quæ descẽdens mũdat ea. Auicẽna recenset & lõgè plura cõmoda vomitus, siquidẽ rectè fiat, quorũ primũ est, conferre grauitati capitis, & hoc verũ est, quando illa accidit ex materia humorali vaporosa, à stomacho & mẽbris inferioribus ad caput adscendente. Si enim grauitas capitis fuerit à proprio ipsius cerebri nocumẽto, tum vomitus magis noceret. Secundũ est, clarificare visum, & hoc si Vomitus.

visus

visus obscuratio accidat, ob materiam vaporosam à stomacho ad ipsos oculos adscendentē, aliâs minimè. Tertium est, auferre fastidium, id est, nauseam, remouendo scilicet & euacuando à stomacho humorē, qui erat causa fastidii. Quartum est, conferre ei, ad cuius stomachum cholera descendit, cibum corrumpens. Quintum est, remouere abominationem, quæ ex vnctuositate accidebat. Sextum est, remouere causam desiderii, & illud, quod facit desiderare acutū, ponticū, aut acetosum: quia vomitus omnium istarū dispositionū causam remouet, remota autē causa remouetur & effectus. Septimum est, conferre laxitati, quæ præcedit hydropem. Euacuat enim materiam, & mundat stomachum. Octauū est, conferre vlceribus renū & vesicæ, diuertendo materias currētes ad illa loca ad partem oppositam. Nonum est, & lepræ conferre, maximè si fiat cum vomitiuo forti, velut helleboro: eiusmodi namque vomitus euacuat materias quæ sunt in locis remotis, & difficilis eradicationis, ex quibus fit lepra. Corrigit etiam digestionē primā, vnde & aliæ digestiones melius procedunt. Lepra enim peccat corruptione digestiuæ. Decimū est, malitiæ coloris in cute, ex aliquo humore conferre, ipsum à cute diuertit.

Nausea.

Cholera.

Laxitas.

Vlcera.

Lepra.

Epilepsia.

uertit. Vndecimũ eſt, conferre Epilepſiæ ſtomachicæ, euacuando ſcilicet humorem contentum in ſtomacho, ex cuius effumatione Epilepſia cauſatur. Duodecimum eſt, conferre ictero, & maximè illi qui ex oppilatione prouenit. Nam ob motum fortẽ in vomitu, materia oppilans à loco vbi oppilationem faciebat, remouetur. Euacuatur item per vomitum materia phlegmatica, quæ ferè cauſa eſſe ſolet iſtius oppilationis. Decimumtertium eſt, conferre aſthmati, euacuando materiam antecedentem è ſtomacho, quæ materiam aſthmatis fouebat, calfaciendo etiã membra ſpiritualia, & pulmonem, ex quorum calfactione conſumuntur ſuperfluitates, vnde aſthma oriebatur. Decimumquartum eſt, tremori conferre & paralyſi: euacuat enim harum paſsionum materiam. Decimumquintum eſt, conferre habentibus vlcera nigra, magna in extremis partibus: diuertit enim humores à partibus illis. Icterus. Aſthma. Paralyſis.

Et licet vomitus rectè adhibitus, hæc cõmoda præſtet, tamen ſi modum exceſſerit, multorum incommodorum cauſa eſt. Stomachum ſiquidẽ debilitat, & reſoluit, aptúmque reddit, vt materiæ ad eum perueniant, obeſt pectori, viſui, dentibus, & antiquis doloribus capitis, teſte Auicen. 4. 1. cap. 14.

Tertium

Ver. Tertium ex iis, quæ in textu notātur, est, quatuor esse anni tēpora, Ver scilicet, Aestatem, Autumnum, & Hyemem. Et inter hæc Ver calidū est, & humidum, respectu habito ad alia tempora, tametsi per se sit omnis excessus planè in medio, teste Gal. lib. 1. de temperamentis. Accommodatißimū autem est hoc tēpus mittendo sanguini, siquidem æquale est, atque adeo neque nimis calidū, neque supra modum frigidum. Vnde Hipp. lib. 7. Apho. 55. Quibus à venis sanguinem mittere confert, his Vere venam oportet secare. Fit item hoc tempore augmētatio sanguinis in corporibus. Conuenit etiam vere moderata Venus, motus temperatus, & vētris solutio, & sudor tēperatus, balnea quoque temperata, ad diminuendam repletionem, vnde hoc tempus apertum est purgationi corporis per medicamenta.

Aestas. Quartum est, æstatē calfacere & exiccare, ac proinde in ipsa crescere choleram rubrā, quæ calida & sicca est. Quare in æstate fercula conuenit esse frigida & humida, ad remouendam distemperantiam caliditatis & siccitatis ex temperamento æstatis. Abstinēdum est à coitu, & crebris balneis, nam & hæc exiccant. Sit rara phlebotomia, nisi neceßitas cogat. Sit quies, & pau-

cus motus. Quies enim humectat, motus verò exiccat. Vtendum potu moderato, & inprimis frigido, quia ex superflua sumptione potus frigidi, propter pororum apertionem, sequitur aliquando subita corporis infrigidatio, vel paralysis, siue laxitas membrorũ, vel mors subita.

DE ELECTIONE MELIORVM SIMPLICIUM AC SPECIERUM MEDICINALIUM, RHYTHMI M. OTHONIS CREMONENSIS.

Aloë.

Est aloës lignum melius, sit hoc tibi signum
Quod nigredo parũ dat fragile, subamarũ,
Sit graue, nodosum, subdurum, sit preciosum.

Aloë hepaticum.

Est aloë carum simplex, res vna bonarum,
Subrufum, clarum, frangibile, parũ amarũ.

Agaricus.

Res frangi præsto, preciosus Agaricus esto,
Cãdidus & splẽdẽs, libramine leueq; pẽdẽs.

Alumen.

Si petis lumen, albedine lucet alumen,

Et

Et fit pars oris salsi compuncta saporis,
Mordicat, ac sputũ præterea reddit acutũ,
Laus huic detur; præstantius illa medetur.

Asa fœtida.

Quo mage fœtorem facit Assa, tu dic meliorem.

Armoniacum.

Est precium pendens Armoniacum bene candens.
Quò magis est purum, precii plus est valiturum.

Antimonium.

Multi splendoris antimonium est melioris,
Et signum stagni si splẽdet imagine magni,
Et manibus teritur, sic illud fragile fertur.

Ambra.

Laudes ambra merens, leuis est & dentib. hærens.
Diues odore, foris gypsi sunt signa coloris.

Amidum.

Laus est albentis amidi fœcunda recentis,
Ex antiquato reliquum prodire putato.

Anacardus.

Fama maiores anacardi sunt meliores.

Ammi, Ameos.

Vt sibi laus detur ameos, aurúmq; meretur,
Si tibi gustatũ mordet pungítque palatũ.

Anisum.

Copia dulcoris mos eſt aniſi melioris.

Aſphaltum.

Grandi fœtore, leuitate, nigro colore,
Hæc per ſigna potes aſphalti diſcere dotes.

Alcanna.

Quiſquis ea gaudes, Alcãnæ collige laudes,
Quam color obfuſcat ſubrufus, laude coruſcat,
Laus augmentatur, leuitas ſi conſociatur.

Anethum.

Nõ tibi ſit ſpretũ, ſi linguã pungit anethũ.

Acetum.

In terra fuſum ſi ſpumat, cedat ad vſum,
Geſtans impletũ annulũ bonitatis acetum.

Bolus.

De bonitate boli ſpem tu tibi ponere noli.
Qui frãgi neſcit, qui partim vixq; rubeſcit,
Quo non viſcatur dens, ſi cũ dente teratur.

Balſamum.

Laudari digna, ſic ſint tibi balſami ſigna,
Cui fructus citri, color eſt lux ſplendida vitri,
Cui mos, vt linges, capitis turbare mariges.
Quod lĩgua tactũ penetrat feruore palatũ,
Quod ſi ponatur in aqua nõ ſubmergatur.
Vaſis ĩ extrema, media vel parte ſuprema,
Si dimittatur, illic immota moratur,
Quod multũ clarum citrinũ ſit tibi charũ.

Borax.

Si tibi voracem mens est nouisse boracem,
Elige candentem, duram, sine sorde nitentē.

Camphora.

Cāphora cādore niuis æmula, suauis odore,
Lucida fulgenti candens, sit hæc tibi mēti.

Cardamomum.

Sic Cardamomi precium tibi collige pomi,
In morsu dentis si linguam pungere sentis,
Non sine dulcore, rufo rutilante colore.

Caßia lignea.

Tolle, venalis si Caßia lignea talis,
Rufa, iuuās gustū, dat quæuis fractio frustū.

Coloquintida, Colocynthis.

Seminib⁹ pulpa, Coloqūtida sit sine culpa,
Nō residens mota per plurima, cādida tota.

Cubebe.

His laudē præbe, quæ spirant lene Cubebæ
De precio tutus sis cùm sapor adsit acutus.

Castoreum.

Gustibus exosum graue Castoreū p̄ciosum,
Nigrum, neruosum, simul atque recens, glutinosum.

Costus.

Costum gustate, si sit cum ponticitate,
Et si lingua parum gustu dignoscit amarū,
Si confringatur, nec fiat puluis, ematur.

Capparis.

Sit tibi Capparus ſolidus, rubeus, ſubamarus.

Corallus.

Forma Corallorum ſic ſit tibi nota bonorũ,
Si ſolidi, plani, ſpe non laudantur inani.
Si großi, clari, ſint digni laude notari.

Calamus.

Parte cãdeſcit Calamus ſic laus ſua creſcit,
Si iuuat olfactus, nec abundat puluere, fractus.

Diagrydion.

Sputo clareſcẽs Scammonea ſitq; nigreſcẽs,
In guſtu grata, frangi leuis albificata.

Tragantum.

Commendat tantum viuax ſplendor eſſe Tragantum,
Quò minus obſcurum laudem magis eſt habiturum,
Album, frigoris fomes, ruffiq́ue coloris.

Caryophylli.

Caryophylla laudantur, & per hæc ſigna probantur.
Quæ ſi ptũdat vnguis, liquor intus abũdat.
Si tumor adſit ei coniunctus großitiei.
Quod cùm mordetur, bene mordicat, æra meretur.

Galanga.

Huic laudes pãge, q̃ ſit ſubruffa Galangæ.

Si ſit acuta, grauis, odoratus, minimè ſuauis.

Gummi Arabicum.

Gũmi ſi ſplẽdet, quia laus ex hoc ſibi pẽdet,
Quod mittũt Arabes, nõ culpat ĩſita labes.

Galbanum.

Hæc tibi ſit cura, quia ſplendent Galbanæ pura.

Hermodactylus.

Laus detur iure tibi Hermodactyle dure,
Integer abſq; poris tibi ſit, albique coloris.

Liquiritia, Glycyrrhiza.

Sit tibi probata Liquiritia pulueriſata,
Et ſi tundatur, ſit rufa, croco ſimulatur.

Ladanum.

Ex precii merito ladanum laudabile ſcito
Molle laudari, leue nigrum neque grauari.

Myrobalani.

Quod grauitate manum premit, eligo Myrobalanum,
Intus ſplendorem gummoſa luce nitorem.
Qui magis eſt clarus in acumine ſit ſubamarus.

Macis, Macer.

Eſt precio ſacer, ſi mordet acumine macer.
Vtq; ſcias dignum, rubedo ſit tibi ſignum.

Maſtix.

Maſtix labe caret, ſi cãdens lumine claret.

Myrrha.

Myrrhā laudate, ſi groſſa caret grauitate,
Quod potius præſtat, iubar in rubedine geſtat.

Manna.

Sunt vilia grana, niſi dulcis, cādida, Māna.

Mumia.

Nigra vendetur, ſi mumia clara probetur.

Salnitri.

Nitri ſumma ſalis laus eſt albedo niualis.

Opopanax.

Opopanax clarū, ſubruſum ſit tibi charū.

Pionia.

Pulueris ignara, nigra, dura, pionia cara.

Reubarbara.

Librā oſtendat, ſi quis Reubarbara vēdat.
Rufa, ſapore parum ſub acuto ſi quid amarum.

Sarcocolla.

Albam ſpumoſam, ſarcocollam precioſam
Collige maiorem precio multo meliorem.
Mixtus candori modicus viror in meliori.

Spodium.

E ſpodio nota laus eſt grauitate remota.

Schœnantum.

Cādor ſchœnanti ſignū eſt inſigne probāti.

Tamariſcus.

Mollis, nigreſcens bonus eſt Tamariſcus areſcens.

Is qui clarescit candens contagia nescit.

Panis, & cætera cibaria.

Panis habens oculos non monstrans caseus
vllos,
Et pulli stulti, piscésque senes & adulti,
Et saliens vinum, lentum piper atque cu-
minum,
Talis pastura non est sanis nocitura.

LOCI ALIQVOT PHILIPpi Melanth. in libro de Anima, de moderatione cibi & potus, item somni & vigiliarum.

1. Modus organorum hortatur ad temperantiam. Cùm enim immodicè onerantur, non potest coctio perfici. Et vitia primæ coctionis deinde non possunt corrigi in aliis coctionibus. Quare cibo immodico ingesto, cùm fit malus chylus, etiam postea fit insuaue nutrimentum, & corpus vitiosis humoribus impletur.

2. Traditur vtilissima regula: Vitiũ prioris coctionis non potest corrigi in posteriore. Quare, cùm ventriculus non facit suum officium, nunquam fiet ex crudo chylo sanguis bonus. Ideo intemperantes, qui non concedunt ocium primæ coctioni, replent

corpus vitiosis humoribus, fiunt pallidi, & prosternuntur vires ventriculi, ac deinde hepatis.

3. Sæpe citatur dictum Hippocratis, in quo complexus est & res vtiles corpori, & earum modum & ordinem: πόνοι, σιτία, ποτὰ, ὕπνοι, πάντα μέτρια. Primum locum tribuit labori, qui propter multas causas præcedere cibos debet. Excitatur enim calor, superfluitates consumuntur & expelluntur, quod vtile est antequam ingerantur alii cibi. Vt enim, si ad focum calefacias aquam, & iam feruēti infundas frigidam, rursus extinguitur calor, ita turbatur coctio, cùm rursus cibi ac potus ingeruntur crudi: Id cauere iubet Aphorismus, Τὰ μὴ καθαρὰ σώματα, ὅσῳ ἂν τρέφεις, μᾶλλον βλάψεις. Sunt autem vtiliora exercitia, in quibus agitantur brachia, & thorax panditur, vt discutiantur superfluitates in pectore & pulmone, & motus calórque diaphragmatis, vētriculo prosunt. Post cibum cauēdi sunt omnes vehemētiores motus corporis & animi, cauenda & vocis intentio. Tribuēda est enim quies vētriculo amplexo iam cibū, qui cū agitatur, nō potest integrè cōcoqui. Motus enim aperit orificiū, vbi exhalant calor & spiritus, aperit & pylorū,

Labores, cibi, potus, somni, omnia sint moderata.

Non pura corpora, quātò plus nutries tantò plus lædes.

vbi crudus chylus ante tẽpus effunditur. Ac interdum subitum exitium afferunt illi vehemẽtiores motus post cibum. Nec quisquam est, qui non experiatur, sibi tales cõtẽtiones nocere: Itaq; videmus natura etiã pecudibus hũc sensum inditũ esse, quietẽ vt ament postquam pastæ sunt. Qualis est autem immanitas, homines prorsus cõtemnere ordinem à natura institutum, vtilẽ vitæ & conseruandis nõ solùm ventris sed etiã ingenii viribus? Est etiam quædã diligentia, q̃ eruditos decet, cibi & potus discrimina cõsiderare, qui iuuẽt aut offendãt corpus, vt calidis & siccis minimè prosunt calida aromata & pleniora vina. Ad somnũ cõciliãdum prosunt lactucæ & cibi ex amygdalis facti. Obseruet igitur quisque qualibus cibis opus habeat.

De Somno.

4. Cõducit quies ad recreandas tres virtutes: Ad rigationẽ cerebri, ad generãdos spiritus, & ad perficiendũ officium ventriculi & hepatis. Verè igitur Ouidius: Is quoque qui gracili cibus est in corpore somnus. Et Vergilius : Fessos sopor irrigat artus. Nam cùm coctio rectè perfecta est, omnibus mẽbris distribuitur nutrimentum, quod mẽbra irrigat, gignuntur spiritus, qui nouas vires

addunt, & tamen æstus corporũ ipsa quiete mitigatur: perfũditur etiã corpus quadã vtili & suaui rigatione ex cerebro. Recipit et cerebrũ vires, vnde fiũt nerui viuaciores.

De ordine cibi & somni.

5. Nec inanes suauiter dormiunt, nec immodico cibo onerati: Balneæ antecedant cœnas, à cœna exiguum sit interuallum ad somnum. Molli ambulatione cibus ex orificio ventriculi descendit, & orificiũ clauditur. Deinde quies gratißima est ventriculo, ac primùm in dextro latere cubandum est, ne hiet os ventriculi. Fit igitur collecto calore in somno coctio, prohibetur cruditas, conseruatur calor naturalis, gignitur sanguis suauior, sequitur & viriũ & coloris bonitas. Nec dubium est, certißimã esse perniciẽ virium corporis & ingenii, extendere vigilias post cœnã in multam noctẽ. Quia non tantùm cruditas sequitur, sed dißipatur calor naturalis, languescit virtus ventriculi, gignitur sanguis impurus, corpus vitiosis humoribus repletur, sequitur aut κακοχυμία, aut macies, accedunt pallor, conturbatio spirituũ, debilitas cerebri. Quare assuefacienda est iuuentus, nõ modò ne cõuiuia producat in multã noctem, sed etiã, vt lucubrationes omittat principio noctis,

nec

nec tẽpus ad quietẽ diuinitus cõstitutũ oĩbus animãtibus, trãsferat ad exitiosos labores. 6. Est etiam opus animi trãquillitate. Nã dolor cordis, itẽ sanguinis ac spirituũ æstus in metu, mœstitia, ira, nimis intenta cogitatione, impediũt cerebri quietem, nec siunt cor vacare huic actioni naturali.

POLYBIVS DE SALVBRI victus ratione priuatorum, Guinterio Ioanne Andernaco interprete.

Hyeme. PRiuatos hãc viuẽdi rationẽ sequi oportet. Hyeme plus esse, minus bibere cõuenit. Sed potioni vinũ quàm meracißimum, esui panis exhibẽdus est. Carne potius assa, modicè oleribus vtendũ. Huiusmodi nãque alimẽtis corpus & siccũ & calidũ euadet.

Vere. At Vere potioni adiiciendũ, sed paulatim tamen & dilutius bibendũ est. Cibo demẽdum, eoq; molli, pulte videlicet magis quàm pane, magis oleribus vtendum est. Eadem lege trãseundũ paulatim ab aßis ad elixa.

Aestate. Aestate verò cibo minus duro, & elixis, & oleribus tũ crudis, tũ coctis, potione multa corpus eget, cauẽdũ tamẽ, ne magna subitò dictorũ fiat mutatio. Eo tempore aptißima sunt pulticula mollis, caro elixa, potio quã dilutißima. Atq; hæc ita obseruãda sunt, vt

corpus

corpus molle sit, et frigidũ. Nã id calido anni tẽpore, & sicco, exuritur, squalidũq; redditur. Itaq; his rationib. tueri oportet. Pari aũt modo ex Vere in Aestatẽ, sicut ex Hyeme in Ver cõstituere, cibis demẽdo adiiciendóq; potioni: Rursus ex Aestate in Hyemem traducere, dum annus absoluatur, expedit.

Per Autumnũ cibo paulò pleniore, & sicciore vti, licet minus, sed meracius bibere. Quemadmodũ, vbi Hyems bona cõtigerit, meraca etiã magis & exigua potione, cibo pleniore, & vehementer sicco vti. Ita enim hoc frigido admodũ & humido tẽpore optima valetudine fueris, minúsq; frigus senties.

Quod ad habitus & ætates attinet: plenis, mollibus, rubicũdulis ob tẽperaturæ humiditatem siccior victus ex vsu est. Gracilibus, duris, rufis, & nigris humidior. Nã huiusmodi corpora sicca sunt. Iuuenibus autẽ rarior & humidior, quorũ ætas sicca est, & corpora magis induruerũt. Senibus magna ex parte siccior aptus est. Siquidẽ humidi, molles & frigidi sunt. Proinde habita & ætatis, & tẽporis anni ratione, vitæ modũ instituere oportet, qui p̃sentibus et calori, et frigori cõtrarius existat. Sic enĩ potius sani degemus. Per hyemẽ celeriter ambulandũ, æstate cõquiescẽdũ est, aut nõ in sole ambulandum.

landum. Obesis cita ambulatio, gracilibus lenta conuenit. Per æstatē frequēti balneo, hyeme raro vtēdū est, idq; magis tenuibus, quàm plenis. Eo quoque tēpore corpus veste pura, per æstum vili lacerna velandū est.

Obesi, qui graciles fieri cupiunt, labores vniuersos ieiuni subibunt, & sudātes adhuc necdum refrigerati cibum assument, vinum temperatum, & non perfrigidum prius bibent, epulæ, sesamum atque id genus alimenta dulcia sunto, eáque copiosa. Sic enim vel paucißimis bellariis saturantur. Semel die cibus assumptus, rarum balneū lectus per æstatem terra, hyeme durum cubile, sine vestibus obambulatio, quanta maximè fieri potest, conducit.

Qui tenues se implere volūt, præter alia, quæ plenis contraria facient, modicè ieiuni exerceri debent.

Vomitu verò, & ventris deiectione à medicamento petita sic vtendū est: Sex hybernis mensibus vomere vtile est. Nam & pituitæ plus, & capitis grauitas subest. Adhæc dolor præcordia exercet. Deiectionis æstate vsus est. Tū enim æstus biliosum corpus reddit, grauitates lumbos fatigant, & genua calore infestantur, ventris oriuntur tormina, & distorsiones. Iam verò superiores

res corporis partes per inferiores purgādæ sunt. Deiectio autem plenioribus & humidioribus à medicamento magis salso: sicciorib⁹ autem, & tenuioribus, & imbecillis à pinguiore, craßioréque petatur. Pingue igitur & crassum est lac, aqua ex cicere cocta, atque hoc genus alia: tenue & salsum olus, aqua marina, reliquáque huiusmodi.

Vomitus prouocādi hoc pacto sunt: Craßiores ieiuni, & cursu, citáque ambulatione exercitati medio die vomere debent. Potui sumant, hyssopi sesqui cyathum, aquæ congio intriti, eúmque totum bibant, aceto saléque adiecto, quò edulcescat. Primum lentè, mox citius potandum est. Tenuiores, magísque imbecilli à cibo vomitum ita mouebunt. Loti calida, meri cyathos tres bibēt, dein epulas varias assumēt, verùm sine potione: neque post has bibendum est, nisi tāto interuallo, quanto stadia quatuordecim expedias, pòst vinis tribus commistis vtēdum est, austero, dulci, & acri. Primùm meracius & modicè paulatímque bibere, postea dilutius liberalius, & citius conuenit. Qui vomere bis in mense vult, melius consulet, si biduo continuarit, quàm si post quintumdecimum diem vomuerit. Alii secus faciūt. Qui post epulas vomere volunt, vel quibus

alnus

aluus astricta est, his omnibus die sæpius variósque cibos esse, tum vina bina, aut terna bibere expedit. Quibus vomitus non est vtilis, venter autem sanus est, his contraria superioribus conueniunt.

Pueris calida lauatio longo tēpore apta est, vinum dilutius, neque omnino frigidū. Hoc autem exhibendum est, quod ventrem minimè attollit perturbatq;, & inflationes parit. Quæ omnia cōducunt ne conflictentur, sed maiores, coloratioresque fiant.

Mulieribus siccior victus ex vsu est. Etenim cibus siccus, potio meracior, carne mollibus idonea est, ad hoc secundis, & fœtui nutriendo potior est.

Qui corpus exercent, per Hyemem currere & colluctari debent. Aestate luctandū modicè, currendū nihil est. In frigore multa ambulatio conuenit. Qui cursu fatigantur, luctari debent. Qui ex lucta fatigationem sentiūt, his currēdū est. Quibus exercitatis, ventris profluuia oboriūtur & cruda incoctaq; deiiciūtur, iis exercitiorū pars tertia, ciborū dimidia prorsus demenda est. Quippe venter eorum copiā continendo non est. Ad hoc panē quàm maximè assum ex vino esse oportet, bibere verò nimis quàm modicè sed meracius. Semper autē post cibū conquiescere,

quiescere, qui semel die tūc assumendus est. Hac enim ratione vēter sibi cōmissa maximè confouet, mutátque. Accidūt huiusmodi profluuia potissimùm iis, qui ex victus cōsuetudine carnē densam acquisierunt: Nam venæ dēsiores alimēta non recipiunt. Atqui tales in eodē habitu subsistere diu non possunt, sed in alterutram partem declinant.

Qui rariores cute sunt, & hirsuti magis, carnis esum ex facili admittūt, labores magis sustinēt diuq; bono corporis statu fruuntur. Qui cibos postero die cructāt, & præcordiis dolēt, iis veluti crudis adhuc cibis, diutius dormiendū est, nouum genus laboris subeundū est. Vinum meracius, largiúsque bibere oportet, cibis vti paucissimis. Quippe cōstat ventriculū imbecillitatis frigorisq; vitio ciborum copiā concoquendo non esse. Qui siti premūtur, parcius edēt, minúsque laborabūt, vinum dilutū, simul & frigidissimū bibent. Quos dolores viscerū infestāt, vel ex labore vel alia quadā ambulatione, sine cibis recreandi sunt, medica potio conuenit, maximéq; ea quæ moueat vrinā, quò venæ ex visceribus prodeūtes, repletæ non distendantur. Nam hinc inflationes febrésque oriuntur.

FINIS.